# IBLIOTHECA
## ORDINIS FRATRVM PRÆ-
## DICATORVM, VIRORVM INTER

illos doctrina inſignium Nomina, & eorum
quæ ſcripto mandarunt Opuſculorum, Titulos
& Argumenta complectens.

VTHORE R. P. MAGISTRO FRATRE
*Antonio Senenſi, Luſitano, eiuſdem Dominicanæ familiæ alumno.*



PARISIIS,
Apud Nicolaum Niuellium, [illegible]
ad inſigne Columnarum.

M. D. LXXXV.

# BIBLIOTHECA
## ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM, VIRORVM INTER illos doctrina inſignium Nomina, & eorum quæ ſcripto mandarunt Opuſculorum, Titulos & Argumenta complectens.

AVTHORE R. P. MAGISTRO FRATRE *Antonio Senenſi, Luſitano, eiuſdem Dominicanæ familiæ alumno.*



PARISIIS,
Apud Nicolaum Niuellium, via Iacobæa, ad inſigne Columnarum.

M. D. LXXXV.

i 1182r273

EXCELLEN-



# BIBLIOTHECA FRATRVM ORDINIS PRÆDICATORVM, VIRORVM doctrina inſignium eiuſdem cœtus qui aliqua ſcripto mandarunt, nomina, & opuſculorum, complectens.

AVTHORE R. P. MAGISTRO FRATRE *Antonio Senenſi, Luſitano, eiuſdem Dominicanæ familiæ alumno.*

FRATER Accoldus de Florentia, vir ingenio & litteratura præclarus, & linguarum, etiam Arabicæ peritus, poſteris & ingenij ſui, & eruditionis monimenta reliquit. Volumen magnum contra perfidiam Saracenorum conſcriptum, librum vnum de modo diſputandi contra infideles. Claruiſſe fertur circa annum Domini 1265. Iacobus de Suzato.

Frater Adam, ſacræ Theologiæ profeſſor eximius Colonienſis, vir & in Peripateticorũ doctrina, & in ſcholaſtica non infimè doctus, nomen ſuum poſteris euulgauit, ſcribendo ſuper quatuor libros ſententiarum, Commentaria non contemnenda. Claruit circa annum 1355.

Frater Alanus de Rupe, Magiſter in Theologia

eruditus, vir in diuinis ſcripturis exercitatus, & in declamandis ad populum concionibus valdè dexter & celebris. Diuæ autem Virginis pientiſſimus cultor, atque eius Roſarij ſanctiſſimi promotor inſignis & venerandus, ſcripſit.

Librum vnum in Cantica Canticorum, quaſi ſingula Salomonis verba ad Chriſtum & beatam Virginem ſeinuicem colloquẽtes accomodando. Librũ vnũ de miraculis ſanctiſſimi Roſarij. Sermones varios; & nõnulla alia. Claruit anno Dñi 1472.

*Prima P. monimentorum ordinis.*

Frater Albertus cognomento Magnus, natione Sueuus patria Languinenſis, comitis Falchebergenſis, & Regibus Franciæ ſanguine propinquus, & ideo à matre illius ex Germania in Franciam miſſus, vt ibi cùm Regis prolibus educaretur: ſcribit in illius vita frater Seraphinus Razius. Is in iuuentute ſua ingenio hebes fuiſſe memoratur. Vnde & propterea tentatione pulſatus, de habitu noſtri ordinis quem iam ſuſceperat, deſerendo cœpit cogitare: ſed orationi aſſiduè vacãs meruit diuinitùs in ſancto firmari propoſito, & taliter illuſtrari, vt multò ampliorem theſaurum ſibi omnium conquiſierit ſcientiarum quàm ſtudio humano, etiam excellenti ingenio prædit conſequi potuerunt. Adeò autem celebris erat famæ, etiam dum Philoſophiæ ſtuderet, vt iam tunc per Antonomaſiam Philoſophus appellaretur communiter, poſtmodum verò adeò præclarus euaſit in omnium ſcientiarum genere, vt ad inſtar eorum qui præclariſſimi fuere in nonnullis rebus; Magni cognomentum promeruerit. Cuius encomijs id etiam acceſſit, quòd diuum Thomam



Aquinatem Chriſtianæ religionis lumen inſigne habuit diſcipulum, & auditorem diligentiſſimum per nouem aut circiter annos. Is itaque Albertus cùm doctrina & religione foret celebratiſſimus, per Germaniam ſuperiorem fuit factus religionis noſtræ moderator, & poſtmodum Ratiſponenſis eccleſiæ epiſcopus. Quem præſulatum poſt annos aliquot in eo diligenter tranſlatos relinquens, ad vitam pauperem, tranquillum religionis portum redijt. Ea autem tranſmiſit ad poſteros quæ ſequuntur, prout in eius vita refert Ioannes Antonius Flaminius,

COMMENTARIA.

| | |
|---|---|
| *Super Geneſim.* | *In Eccleſiaſticum.* |
| *Super Exodum.* | *In Eſaiam.* |
| *Super Leuiticum.* | *In Hieremiam.* |
| *Super Numeros.* | *In Baruch.* |
| *Super Deuteronomium.* | *In Danielem.* |
| *In librum Ioſuë.* | *In Ezechielem.* |
| *In librum Iudicum.* | *In Oſeam.* |
| *Super Ruth.* | *In Iohelem.* |
| *Super quatuor libros Regũ.* | *In Amos.* |
| *Super librũ Paralipomenon.* | *In Abdiam.* |
| *Super libros Eſdræ.* | *In Ionam.* |
| *In librum Nehemiæ.* | *In Micheam.* |
| *In librum Tobiæ.* | *In Naum.* |
| *In librum Heſter.* | *In Abacuc.* |
| *In librum Iob.* | *In Sophoniam.* |
| *In Pſalterium.* | *In Aggæum.* |
| *In Prouerbia.* | *In Zachariam.* |
| *In Eccleſiaſten.* | *In Duos libros Machabæorum.* |
| *In Cantica Canticorum.* | |
| *In librum Sapientiæ.* | *In Euangelium Matthæi.* |

In Marcum.
In Lucam.
In Ioannem.
In epiſtolam ad Romanos.
In epiſtolas ad Corinthios.
In epiſtolam ad Galatas.
In epiſtolā ad Epheſios.
In epiſtolam ad Philippenſes.
In epiſtolam ad Coloßẽſes.

In epiſt. ad Theſſalonicẽſes.
In vtramq; ad Timotheum.
In epiſtolam ad Titum.
In epiſtolam ad Philemonē.
In epiſtolam ad Hebræos.
In Canonicam Diui Petri.
In Canonicam Diui Iacobi.
In Canonicam Iudæ.
In Canonicas Ioannis.
In Apocalypſim Ioannis.

In Dionyſium, de diuinis nominibus.
In eundem, de cæleſti Hierarchia.
In eundem, de eccleſiaſtica Hierarchia.
In eundem, de myſtica Theologia.
In libros de Symbolo Theolog.
In epiſtolas eiuſdem Dionyſii.

Super quatuor libros ſententiarum.
Summam Theologiæ.
Tractatum, de quatuor cœnis.
Alium, de homine.
Alium, De partu hominis.
Alium, De formatione hominis.
Alium, De origine animæ.
Alium, De differentia ſpiritus & animæ.
Alium, De bono.
Alium, De vita ſpirituali.
Alium, De adhærendo Deo.
Defenſorium mendicantium.
Alium tractatum, De ſacrificio Miſſæ.
Alium, De ſacramento altaris.
Sermones, 32. De eodem ſacramento.
Alium, De muliere forti.



Alium, De laudibus beatæ Virginis.
Alium, De timore multiplici.
Alium, De oratione dominica.
Alium, De reparatione lapſi.
Alium, De dominatione & prophetia.
Alium, De vnitate intellectus.
Tractatum qui inſcribitur Paradiſus animæ.
Librum, De diuerſis quæſtionibus.
Orationes ſuper Euangelia.
Orationes ſuper ſententias.
Sermones de tempore.
Sermones de ſanctis.
Sermones de natura Deorum.
Librum, De Magiſtris eligendis.
Librum, De vnitate formæ.
Libros 16. De morali phloſophia.
Summam Philoſophiæ.
Librum 1. De Vniuerſalibus.
Lib. 1. De prædicamentis.
Lib 1. De ſex principiis.
Lib. 1. De definitionibus.
Lib. 2. in Perihermenias.
Lib. 2. in librum Priorum Ariſt.
In lib. Poſteriorum.
In librum Topicorum.
In librum Elenchorum.
In libros Phyſicorum.
In lib. de cælo & mundo.
Librum 1. de natura Locorum.
De cauſis Elementorum.
In librum, de gener. & corrupt.
In lib. Meteororum.
In libros de Anima.

*In lib. de nutrimento nutribili.*
*In lib. de Vegetabilibus & Plantis.*
*In lib. de ſenſu & ſenſibili.*
*In lib. de ſenſu & ſenſato.*
*In lib. de memoria.*
*In lib. de morte & vita.*
*De cauſa longitudinis & breuitatis vitæ.*
*In lib. de ſenectute & iuuentute.*
*De reſpiratione & inſpiratione.*
*De ſomno & vigilia.*
*Librum de ſomniis.*
*Lib. de motibus animalium.*
*De animalibus libros 20.*
*De intellectu & intelligibili.*
*In libros, 10. Ethicorum Ariſtotelis.*
*In lib. 8. Politicorum Ariſtotelis.*
*Oeconomicorum librum 1.*
*Commentar. in œconom. Ariſto.*
*Commentaria in problemata Ariſtotelis.*
*Librum de Grammatica.*
*De alphabetis, 12.*
*Commentar. in vtrunque Priſcianum.*
*Librum de Rhetorica.*
*Commentaria in Rhetor. Ariſtotelis.*
*Librum de Arithmetica.*
*In Arithmeticum Boetij.*
*Librum de Geometria.*
*Commentar. in Geometriam Euclidis.*
*Librum de perſpectiua.*
*Commentar. in perſpectiuam Alchionis.*
*Librum de muſica.*
*In muſicam Boëtij.*
*Lib. de Aſtronomia.*



*De aſtris, ſpeculum Aſtronomiæ.*
*Speculum Aſtrolobicum.*
*Commentar. in Almageſtum Ptolomæi.*
*Librum de lanificatione.*
*Librum de nauigatione.*
*Librum de Agricultura.*
*Librum de Aratura.*
*Librum de Medecina.*
*Methaphyſicæ lib. 13.*
*De cauſis lib. 1.*
*Librum de ſecretis naturæ, & multa alia ſcripſiſſe dicitur.*

*Claruit autem Albertus ab anno Domini 1240. vſque ad annum, 1280. quo in domino feliciter obdormiuit.*

Frater Albertus Brixienſis, diui Thomæ olim diſcipulus, & doctrinæ illius diligentiſſimus ſectator, quam & auidiſſimè hauſit & abundè, vir fuit etiam in vtroque iure non infimè doctus, nec minùs ſanctus, quàm eruditus; Nam & miraculorum virtute radiauit. Huic etiam diuus Auguſtinus apparuiſſe proditur, diui Thomæ illi reuelans gloriam & dicens, Thomas mihi par eſt in gloria, virginali pollens munditia. Scripſit autem.

Summam vnam de caſibus conſcientiæ, ſacerdotibus ſatis vtilem. Aliam de inſtructione ſacerdotum in 4. libros diuiſam. Quam & Mediolani in conuentu noſtro Gratianum vidi, & Toleti in conuentu noſtro Diui Petri martyris, antiquis admodum characteribus conſcriptam. Scripſit etiam ſermones varios & multa alia. Claruit autem circa annum 1285. & vixit vſque ad annum Domini 1314. Quòd autem Tritemius & Geſnerus

eum multo tempore poſteà claruiſſe inquiunt (ſi non falluntur) de aliquo alio loqui credendi ſunt.

Frater Albertus Laudenſis, vir ingenio præſtans, moribus grauis, & in ſæcularibus, & in diuinis litteris eruditus, atque earum multo exercitio doctus, ſuæ eruditionis & ingenij ſpecimen nobis reliquit, ſcribendo Cõmentariorum duo volumina ſuper epiſtolas Pauli ſcilicet.

*Super epiſtolam ad Romanos.*
*Super vtramque ad Corinthios.*
*Super epiſt. ad Galatas.*
*Super epiſt. ad Epheſios.*
*Super epiſtolam ad Philippenſes.*
*Super epiſtolam ad Coloſſenſes.*
*Super vtramque ad Theſſalon.*
*Super vtramque ad Timotheum.*
*Super epiſtolam ad Titum.*
*Super epiſt. ad Philemonem.*
*Super epiſtolam ad Hebræos.*
*Claruit anno* Prima parte moniment ord.*

Frater Albertus Venetus, vir non ineruditus & poſteritatis iuuande cupidus, fratris Iacobi de Suzato Chronicam noſtri Ordinis, qua illuſtrium virorum Religionis noſtræ portiunculatam aliquam complectitur, auctiorem reddidit & locupletiorem, ibi incipiendo vbi prænominatus frater Iacobus de Suzato finierat. Scripſit autem eo tempore quo & Leander Bononienſis, cuius etiam meminit ſub finem ſuæ Chronicæ, quæ fuit impreſſa Venetijs anno Domini 1516. Edidit etiam librum de Rozario beatæ Virginis Italico idiomate cum optimis meditationibus ad myſteria ſingula quæ in Roſario meditanda veniunt. Liber fuit



impreſſus Venetijs in 8. per Ioannem Variſcum. Anno 1559.

Frater Albertus de Saxonia, vir felici ingenio præditus, in philoſophicis inſigniter verſatus, & in Teologicis non ignobiliter doctus. Scripſit ſuper Philoſophiam aliquot opuſcula. Tractatum etiam de proportionibus motuum, quem frater Iſidorus de Iſolanis, Mediolanenſis, etiam noſtri ordinis expoſuit, & fuit impreſſus Papiæ anno Domini 1522. & eſt coniunctus capitulo in compendium redacto per Paulum Soncinatem.

*Caueat autem quiſque ne nominum identitate deceptus, falſum ineſſè putet, vbi ineſt nullum. Nam ſicut anno domini 636. quidam Vincentius Beluacenſis claruit, & anno 880. quidam Ioannes Scotus, viri ambo doctrina percelebres, & his duobus & aliis etiam duobus quos noſter & fratrum Minorum tulerunt ordines, fuerunt hæc eadem nomina communia, ita etiam præter hunc noſtri ordinis Albertum de Saxonia, ſciat quiſque fuiſſe alium eandem nomenclaturam ſortitum, ordinis Auguſtinenſium, etiam virum doctum. Non ſit ergo vllius deceptionis cauſa, identitas nominum.*

Frater Albertus Porleſienſis vir humanarum literarum, & etiam artis poëticæ non ignarus, & diuinarum non expers, in ſingulas partes Morales Diui Antonini Archiepiſcopi Florentini in commendationem operis epiſtolas & carmina præmiſit. Alia nonnulla etiam ſcripſiſſe fertur quæ non vidi. Claruit anno Domini 1500.

Frater Aldobrandinus de Toſchanota, vir ingenio perſpicax, vtcumque doctus & Diuini verbi proclamator egregius, ſcripſit ſermones perutiles de

tempore. Sermones etiam de ſanctis. Legendam Beati Dominici patris noſtri in octo partes diſtributam. Claruit circa annum 1314.

Frater Aldobrandinus de Ferraria, vir moribus compoſitus, religione præſtans, ingenio non infelix, & literaturæ non ignobilis, ſcripſit officium de tranſlatione S. Thomæ. Multa etiam tum Latino, tum vulgari ſermone conſcripſiſſe fertur, quæ non vidi.

Cuiuſdam fratris Aldoubrandini noſtri ordinis ſermones manuſcriptos antiquis admodum characteribus curſim vidi Neapoli in Bibliotheca ſancti Seuerini: ſed vtrùm alicuius iſtorum ſint vel alterius, non potui deprehendere.

Frater Alexius Figliuecius, vir ſanguinis ſplendore, doctrina & religione non ignobilis, mandato recordationis felicis Pij quinti, catechiſmum factum ſecundum decreta concilij Tridentini è Latina lingua in Italicam vertit accuratè. Liber fuit impreſſus Romæ, anno 1567. Nonnulla alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi.

Frater Alphonſus Boninhomius, natione Hiſpanus, vir licet multùm commendandus ab ingenio, multò maiori tamen commendatione dignus propter literaturæ & religionis præſtantiam. Qui etiam Arabicæ linguæ notitiam fuit conſecutus, & pro domo Dei non paucos neque mediocres tulit labores. Ex Arabico idiomate in Latinum vertit tractatum quo probatur, quòd Ieſus Chriſtus ſit verus Meſſias in lege & prophetis promiſſus. Qui vtiliſſimus eſt ad diſputandum contra Iudæos. Fuit autem hic tractatus compoſitus à Rabi Samuele Iudæo, & directus Rabi Iſaac, & extat impreſſus



in fine ſecundæ partis Hiſtor. D. Antonini. Claruit anno Domini 1338.

Frater Alphonſus Venetus, natione Hiſpanus, vir eruditus, qui dum varia lectione delectatur, etiam alios cupit in illa proficere. Idiomate Hiſpanico compoſuit librum, qui inſcribitur, Enchiridion temporum in quo multa habet lectu & notatu digna. Plura eius non vidi. Fuit interim liber impreſſus Antuerpiæ anno Domini 1554.

Frater Alphonſus Martine Bęthicus, vir optimi iudicij, in ſcholaſtica doctrina & in alijs non ignobiliter doctus, edidit cenſuram adnotationum vatabli in biblia eiuſdem. Idque fecit ſuo nomine Sanctis in hæreticos inquiſitionis, anno Domini 1558. Plura eius non vidi.

Frater Alphonſus Munhoſius, natione Hiſpanus, ſacræ Theologiæ præſentatus, vir eruditus & venerãdus. Aliquorum relatu didici quòd librum conſcripſerit quo Miſſæ cerimonias pertractat & diligenter exponit, & ſignificata omnium quæ in illo diuino peraguntur myſterio. Sed Patres reuerendi ſuæ prouinciæ dum maturè diliberant, num expediret in manus vulgi tale opus venire (erat enim liber Hiſpanico idiomate conſcriptus) & minùs conſonum iudicant, quòd à vulgo paſsim legatur, vt Latinitati donetur ab authore, & tunc illum euulget, conſulunt. Hunc eundem patrem percepi à reuerendo Magiſtro fratre Petro Sternande, tunc temporis prouinciæ Hiſpaniæ moderatore digniſsimo & religioſiſsimo fuiſſe deſignatum, vt per ſuam prouinciam vniuerſa in vnum colligeret quæ ad Chronica ordinis ampla conficiendum forent opportuna.

Frater N. Amalphetanus Archiepiſcopus ſcripſit ſuper libros quatuor ſentẽtiarum. Et habẽtur eius ſcripta Neapoli in conuentu noſtro Sancti Dominici, pulpito tertio decimo.

Frater Amadęus Meigretius, vel Macec Lugdunenſis, vir ingenio acutus, in philoſophicis & in Theologicis bene doctus, ſcripſit librum quæſtionum ſuper libros de cælo & mundo Ariſtotelis. Et illum dicauit Domino Archiepiſcopo Lugdunẽſi, & Galliarum Primati. Claruit circa annum*.

Frater Ambroſius de Senis, vir eruditione non obſcurus, diuini verbi prædicator feruidus pariter fructuoſus, & ſplendis virtutũ ornamentis exornatus, & vitæ ſanctimonia clariſsimus (Vnde & viuens fulſit miraculis:) ſcripſit ſermones multos de tempore. Clarnit anno 1262. obiit autem 1286. Iacobus de Sus.

Frater Ambroſius Soncinas, natione Italus, vir diligentiſsimus & hac noſtra tempeſtate clarus, & literarum non expers (ait Leander Bononienſis ſub finem libri 6. De viris illuſtribus) edidit vernaculo ſermone vitam beati Iacobi Alemani, per varia capita diſtinctam: ex qua Silueſter Prierias, Iſidorus Mediolanenſis, & Ioannes Antonius Flaminius ſuas Latinas deduxerunt. Vixit circa annum 1500.

Frater Ambroſius Taëgius Mediolanenſis, vir claro ingenio præſtans, ſermone non incultus, doctrina etiam benè ornatus, ex multis qui ante eum fuerunt in hoc argumento verſati, cõpilauit Chronicã ordinis noſtri in quatuor partes diſtinctam, eidem coniungendo nonnulla alia. Et habetur Mediolani in conuentu noſtro gratiarum in



prima parte monimentorũ ordinis. Scripſit etiam vitam beatæ Columbæ Mediolanenſis, noſtri ordinis virginis ſanctiſsimæ. Et habetur ibidem in 3. parte monimentornm ordinis. Sunt enim in ea Bibliotheca ſex volumina magna monimentorum ordinis ſcripta, & acta plurium comitiorum generalium noſtri ordinis & multa alia, ex quibus etiam nonnulla ad hoc noſtrum Chronicum ord. conficiendum deſumpſi.

Frater Ambroſius Alemanus, vir animo infractus, literis eruditus, & vt eruditione, ſic & ſanctitate inſignis, Tabulam diui Thomæ à Petro Bergomenſi compoſitam, perfectiorem & auctiorem reddidit, opus ſanè egregium & apprimè neceſſarium. Obiit circa annum 1516.

Frater Ambroſius Pelargus (vulgò Stoch dictus) vir ingenio præſtans, in ſtudiis ſedulus, doctrina clarus, & linguarum etiam peritia inſignis, & Reuerendiſsimi Archiepiſcopi Treuerenſis olim Eccleſiaſtes præſtantiſsimus, ex Græca in Latinam linguam conuertit Liturgiam diui Chryſoſtomi. Adiecta eſt etiam Doxologia Græcè & Latinè. Nicenum etiam Concilium vertit, cum breuibus illius adnotationibus: liber impreſſus fuit Vvormatiæ, anno Domini 1541.

*Et hæc quidem abbreuiator Geſneri, in additione autem facta ad Tritemium per fratrem Baltaſarem Vverlinum Colmarienſem addũtur ſequentia, quæ conſcripſit etiam.*

Conflictatiunculam de ſacrificio Miſſæ pij viri & Myſtoliturgi. Iterum de ſacrificio Miſſæ Latinè & Germanicè ad ſenatum Baſilienſem. Librum vnum in Eleutyerobaptiſtas. Refutationem cõſi-

lij Oecolampadij de differendo baptiſmate vſque in eam ætatẽ qua pueri balare incipiunt Librum vnum aduerſus Iconómachos. Librum vnum, An ſit fas in Anabaptiſtas & alios hæreticos animaduertere. Bellaria epiſtolarum quas miſit Eraſmo. Adnotationes in ea quæ Eraſmus non orthodoxè ſcripſit. Librum vnum de morte non timenda Dialogum mulierum ac virorum Lutheranæ ſectæ anteſignanorum. Librum vnum eruditionis multæ, de cælibatu ſacerdotum. Adnotationes in plures Bibliorum libros conciones plures. Claruit anno domini 1546.

Frater Ambroſius Catharinus Pollitius, natione Ethruſius. patria Senenſis, vir facundus, ingenio egregio ornatus, humanarum literarum & iuris etiã Canonici peritus, & in Theologicis ſufficienter inſtructus, licet viros clariſſimos carpendi interdum plus æquo auidus, ſuis meritis præclaris fuit primò Minoriẽſis Eccleſiæ creatus Epiſcopus, & poſtmodum ad Compẽſem Archipræſulatum euectus, ſcripſit Commentaria in quinque priora capita Geneſis. Tractatum de recipiendis pueris Iudæorum venientibus ad Baptiſmum Aſſertiones 14. pro aſſertione gratiæ ad Concilium Tridentinum. Tractatum de conceptione beatæ Virginis, & pro eius feſtiuitate à cunctis fidelibus celebrãda. Explicationem ſummariam opinionum de diuina prædeſtinatione & reprobatione ad ſynodum Tridentinam Pro prædeſtinatione Chriſti adnotationes in Caietanum. De cultu & adoratione imaginum, librum vnum. De Veritate incruẽti ſacrificij. Quæſtiones, quibus verbis conficitur Euchariſtiæ Sacramẽtum. De communione ſub vtraque ſpecie Quæſtiones, vtrùm ſacerdos ratione ordinis, vel iuriſdictionis ſit miniſter ſacramenti pœnitẽtiæ. Quæſtio, de charactere, & per quæ ſacramenta imprimãtur. Quęſtio, de differentia inter baptiſma Chriſti & Ioannis. Quæſtio, de baptiſmo paruulorum & de exiſtentibus in vteris maternis. De matrimonio quæſtiones plures. De diuinis & canonicis ſcripturis, vtrùm expediat diuinam ſcripturam in linguam verti vulgarem. Quo iure & qua pœna hæretici plecti debeant. Defenſionem ſuæ doctrinæ in quendam falsò deferentem eum ad ſummum pontificem. Iterum diſcutit, quibus verbis ſacramentum Euchariſtiæ conficiatur. Confirmat ſuam doctrinam circa reſidentiam epiſcoporum, contra quendam oppugnatorem. Hæc omnia vno volumine Romæ impreſſa anno 1552. continentur.



Scripſit etiam contra Lutherum; fuit opus impreſſum Florentiæ, anno 1521. & dicatum. Carolo 5°. imperatori. E vulgari in Latinam linguam conuertit etiam vitam Diuæ Catharinæ, olim à Raimundo compoſitam ſcripſit etiam librum, cui titulum dedit, Claues duæ ad aperiendum intelligendúmque ſcripturas. Liber eſt in 8. impreſſus Lugduni, anno Domini 1543. Scripſit librum vnum, de Prouidentia & præſcientia Dei. De prędeſtinatione Dei, libros 3. De eximia prædeſtinatione Chriſti, libros duos. De angelorum bonorum gloria, & malorum lapſu, librum vnum. Librum vnum, de lapſu hominis, & de peccato originali. Librum vnum de conſummata gloria filius Chriſti & Beatæ Virginis. Libros tres de immaculatâ conceptione Beatæ. Virginis. Librum

vnum de veneratione ſanctorum. Librum vnum de vniuerſali omnium morte & reſurrectione. Librum vnum de veritate purgatorij. Librum vnum de præmio bonorũ, & ſupplicio æterno. Librum vnum, de ſtatu puerorum abſque ſacramento decedẽtium. Hæc omnia opuſcula excuſa ſunt Lugduni in vno volumine, in 4. & dicata Pio Carpenſi Cardinali. Scripſit etiam libellum cui titulum fecit, Speculum hæreticorum. Librum, de perfecta iuſtificatione, de fide, & operibus. Scripſit & librum de reſidentia Epiſcoporum. Librum vnum, interpretando caput nonum Concilij Tridentini, de iuſtificatione. Fuit impreſſus Venetiis, anno 1547. Librum vnum contra Caietanum, quo vniuerſas illius opiniones, quas à veritate alienas credit, in vnum colligit. Scripſit etiam Apologiam contra fratrem Dominicum de Soto. Aduerſus Baldum, & nonnullos alios viros claros etiam ſcripſiſſe fertur, quaſi ſpiritum contradicendi viris doctis haberet. Scripſit etiam Commentaria erudita quæ dicauit Iulio tertio ſummo Pontifici, anno 1551. In epiſtolam ad Romanos. In vtramque ad Corinthios. In epiſtolam ad Galatas. In epiſtolam ad Epheſios. In epiſtolam ad Coloſſenſes. In vtramq; ad Theſſalonicenſes. In vtramque ad Timotheum. In epiſtolam ad Titum. In epiſtolam ad Philemonem. In epiſtolam ad Hebræos. In omnes epiſtolas Canonicas.

Scripſit etiam librum de conſideratione & iudicio præſentium temporum à ſuperſeminatis zizaniis in agro Dominico. Fuit impreſſus Venetiis in 8. anno 1547. Scripſit etiam Italicè librum de reprobatione doctrinę fratris Bernardini Ochini, & aliquarum concluſionum Lutheranarum. Fuit Romæ impreſſus anno 1544. Alium quoque Italicè ſcripſit librum, cui titulus eſt, *Diſcorſi contra la doctrina e le profecie di fra Girolamo Sanauarola*. Fuit liber impreſſus Venetiis in 8. anno 1548. Plura ſcripſiſſe fertur, quæ non legi. Obiit anno Domini 1552.



Frater Amonius vel Antonius de Parma, vir vtcunque doctus, & diuini verbi ſedulus præco, ſcripſit ſermones ſuper Euangelia Dominicalia. Claruit circa annum Domini 1312. Iacob. de Suz. & Alb. Vene.

Frater Andreas de Modoëtia, vir ingenio non infelix, in Philoſophia humana & diuina verſatus, ſcripſit lecturam ſuper Ioãnem, in qua poſuit 160. collationes, ſermones varios ad Clerum, & ad populũ. In Logicam quoque & Philoſophiam multa ſcripſiſſe fertur. Claruit anno 1270.

Frater Andreas Gallus, vir ſacrarum litterarum non mediocriter ſtudioſus, & fidus interpres, in aliis verò non vulgariter doctus, ſcripſit Poſtillam ſuper quatuor libros Regum, eius authoritatem citat Lyranus libro 1. Regum, capite decimo. Sixtus, Senen.

Frater Andreas de Piſtorio, qui fuit etiam eiuſdem Piſtorienſis Eccleſiæ Antiſtes. Vir & morum grauitate & naturalibus & acquiſitis animi dotibus decoratus, & ſicut indeſinenter literis incubuit, ita & ſtudiorum fructum non mediocrem adeptus eſt: ſcripſit ſermones de tempore & de Sanctis per totum annum. Sermones etiam quadruplicatos quadrageſimales. Claruit circa annum 1314.

Frater Andreas Portullaga Brixienſis, concionator inſignis & facundus:& vti in ſtudio fuit feruidus, ſic & doctrina non obſcurus, & prouintiam Lombardiæ aliquando prudentiſſimè rexit: ſcripſit eruditione refertiſſimas conciones plurimas. Obiit circa annum Domini 1508. Leand. lib. 4. de Viris illuſtr.

Frater Andreas Zanettas Salodienſis, Magiſter in Theologia non indoctus, ſocius exiſtens Reuerendiſſimi patris fratris Seraphini Caballi noſtri ordinis ante hęc tempora Magiſtri vigilantiſſimi, & terræ Sanctæ prouintialis, per annos aliquot eidem patri Reuerendiſſimo fuit inter multas negotiorum procellas præſidio maximo, & vir fuit perſpicaci ingenio, & in rebus agendis nimia dexteritate præditus in bonis autē litteris & in ſcholaſtica doctrina & Philoſophica non infeliciter verſatus. Scripſit Italico ſermone libellum de Roſario beatæ Virginis, illum partim ex operibus admodum reuerendi patris Magiſtri fratris Ludouici Granatenſis compilando, partim ſuo marte conficiendo. Qui libellus per Italiam paſſim piorum manibus teritur fuitque multis impreſſus vicibus. Dum autē alia meditaretur, inuida & præmatura mors eū nobis eripuit, anno Domini 1575.

Frater Andreas Reſendius Portugallus, Magiſter in Theologia, vir doctiſſimus in politioribus litteris, linguarum notitia clarus, & omnis generis antiquitatum mirus indagator, & verbi Dei præco præſtantiſsimus. Vnde & fuit Ioannis tertij Regis Portugalliæ concionator. Suæ eruditionis autem & ingenij ad poſteros monumenta tranſmiſit. Duos libellos de aquarum ductibus iuſſu præfati Regis Ioānis 3. Hiſtorias quoq; diuorum quæ publicè in templis leguntur. Breuiarium quoque Eborenſis Eccleſiæ iuſſu ſereniſsimi Cardinalis, infantis Henrici, illius Eccleſiæ Archiepiſcopi reformauit, vel ad methodum aliam reduxit, multis mutatis, detractis, & auctis. Vitam etiam compoſuit beati Gilij, ſeu Ægidij, ordinis fratrum prædicatorum, eamque in quatuor libros diſtinxit, & ſeruatur illa in Conuentu Sancterenenſi. Vitam quoque & officium compoſuit diui Gundiſſalui de Amarantho. Carmē Hendecaſyllabum ad Sebaſtianum Regem Portugalliæ. Fuit impreſſum Oliſiponæ, anno 1567. Epiſtolam vel librum de martyre beato Vincentio, & de aliis Sāctis ad Bartholomæum Rubedium Toletanum. Liber fuit impreſſus Oliſibonæ, anno 1567. Cōpoſuit etiam idiomate Luſitano vitā beati Petri fratris cōuerſi etiā ordinis noſtri Portugallenſis, qui fuit veſtitꝰ in cōuentu noſtro Sanctæ Mariæ de miſericordia de Aueiro, & vitam finiuit in conuentu noſtro Eborenſi. Fuitque liber impreſſus Eboræ. Claruit vſque ad annum 1570.

Frater Andreas de Floribus natione Beticus, vir non ineruditus, & iuuentutis rectè informandæ cupidus, ſcripſit, ad id inductus mandato regio, librum iu lingua Hiſpanica qui inſcribitur, Doctrina Chriſtiana de obligatione inter eremi cultorem, & vnum paruulum, in quo ſummatim complectitur ſummorum Pōtificum & Imperatorum catalogum. Fuitque liber impreſſus Compluti, anno 1552. Sub cenſuris verò & aliis pœnis iniunctum fuit, vt tam in Archiepiſcopatu Toletano, quàm in regno Galliciæ & alibi hac doctrina

in omnibus Eccleſiis omnes paruuli reformarentur. Sed huius boni patris methodum quidam poſtmodum imitantes, vel potius eidem libro nonnulla addentes, vel ab illo aliqua auferentes, in aliorum ſegetes falces miſerunt, & opus ſibiipſis quodammodo aſcripsère.

Frater Andreas Boncirus, Germanus natione, conuentus noſtri Traiectenſis ſupra Moſam, vir eruditus, ſcripſiſſe dicitur inſigne opus regale, quod in eodem conuentu haberi aliquorum relatu didici.

Frater Andreas de Materno Brixienſis, qui fuit aliquando hæreticorum cenſor Mantuanus, vir ſpectatæ religionis & doctrinæ, & in bonis litteris abundè doctus, conſcripſit, Adnotationes ſuper confeſsionale quoddam non ineruditum fratris Hieronymi de Panormo. Plura eius non vidi. Obiit circa annum 1574.

Frater Andrentius de Camerino, Philoſophus inſignis, & Theologus non ignobilis, & vt ingenio, ſic & memoria felix, ſcripſit ſuper libros Phyſicorum Ariſtotelis. Textū quoque Ariſtotelis reduxit ad formam ſyllogiſticam. Plura non vidi. Claruit circa annum 1214. Iacob. de Suz.

Frater Angelus Higri (aliis eſt Antonius) Vitembergenſis, vir in humana Philoſophia non aſpernandus & in diuina magnifaciendus, & ſuo tempore inter celebres reputatus, iuſſu Bonifacij octaui ſcripſit librum de poteſtate Papæ, & nonnulla alia Claruit anno 1300.

P. P. *Monim. Ord.*

Frater Angelus Bononiēſis qui fuit factus Florentinus Epiſcopus, vir opinione celebris, & multæ eruditionis ſupellectile inſtructus, ſcripſit ſuper quatuor libros ſentētiarum ſubtiliter & copioſè. Nonnulla alia ſcripſiſſe fertur, quę non vidit. Claruit anno *



Frater Angelus Senenſis Magiſter in Theologia, qui aliquando eam in ſtudio Senenſi publicè profeſſus eſt, poſt multos labores in lectione artium exantlatos, Vir ſanè humanus, religioſus, & doctrinæ merito reuerendus, in ſtudio Patauino agens collegit in vnum volumen quæſtiones Metaphyſicas Magiſtri fratris Franciſci Nerithomenſis, qui in eodem ſtudio fuit Metaphyſicę profeſſor celebratiſsimus. Scripſit etiam ſuper Prædicabilia Porphyrij, & ſuper librū Perihermenias Ariſtotelis. Super prędicamenta & ſuper libros Poſteriorum eiuſdem Ariſtotelis. Super libros Phyſicorum, & de Anima. Hæc tum nondum ſunt typis mandata, quod ſciam. Viuebat adhuc anno 1276. in Conuentu noſtro Senenſi agens.

Frater Angelus de Corſiniano, magiſter in Theologia, vir de religione & litteris bene meritus, & illuſtriſsimi Cardinalis Delphini Theologus eruditus, & bonarum litterarum cultor perquàm ſtudioſus, ſcripſit libellum de Iubilæo, quo multa hanc materiam concernentia mouet & explicat, nec infeliciter. Liber fuit impreſſus Romæ, anno 1575. Alia eum ſcripſiſſe audio, ſed non vidi, quod ſciam. Viuebat adhuc anno 1576. agens Romæ, in conuentu noſtro ſuper Mineruam.

Frater Angelus familia Calepius, natione Cyprus, Magiſter in Theologia, vir eruditus, & multa commendatione dignus, quia noſtri ordinis in terra Sancta generalis vicarius exiſtens, in obſi-

dione & expugnatione Cypri, magnum ſuæ religionis ſpecimen præbuit & erga omnes Chriſtianæ fidei cultores & defenſores fraternæ charitatis ſigna exhibuit, eos (cùm opus erat) ad pugnam pro defendenda fide Domini animãdo, infirmos & vulneratos ad patientiam quoſuis exhortando, morituris Sacramenta miniſtrando, eleemoſynas in miſerorum leuamen, & eorum maximè qui in Turcarum poteſtatẽ deuenerant, redemptionem vndequaque colligendo, ne fidem penuria preſſi abnegarent, & huius generis complura opera exercendo. Scripſit hiſtoriam ſeu fidelem narrationem expugnationis regni Cypri à Turcis factę, tanquam teſtis oculatus, idiomate Italico, & habetur illa cum Chronographia fratris Stephani de Luſignano de rebus Cypri, & fuit impreſſa Bononiæ, anno Domini 1573. Viuebat adhuc anno 1577. agens in admodum religioſo noſtro cõuentu Sanctæ Catharinæ à Formello, Neapoli.

Frater Annibaldus (aliis eſt Hanibaldus) Romanus, Sacræ Thæologiæ profeſſor Pariſienſis, poſtmodùm verò presbyter Cardinalis creatus, vir & ab ingenio præclaro, doctrina, & à multis aliis virtutibus commẽdandus, ſcripſit Commentaria ſuper quatuor libros ſententiarum, in quibus diui Thomæ & Petri de Tharantaſia doctrinam fuit in omnibus ſequutus, & eorũ quaſi abbreuiator. Compoſuit etiam Quodlibetorum librum vnum. Ad hunc Annibaldum fuit directum breue ſcriptum ſuper 4. libros ſententiarum, quod ſub titulo diui Thomæ circunfertur. Claruit anno Domini 1270. *Parte 6. monument. ord.*

Fr. Antonius de Nazario de vercellis, vir in iure canonico & in Theologica doctrina inſigniter doctus, Ariſtotelicę autẽ & bonarũ litterarũ nõ ignarus, ſcripſit in iure Canonico, ſummã copioſam per modum alphabeti, & dicitur Lucerna pudicialis. Sermones etiam feſtiuos & Dominicales per totũ annum. Claruit circa annum 1262. Iacob. de Suz.

Frater Antonius de Bononia, cognomẽto Paruus, ſed iudicio, doctrina & rerum agẽdarum peritia magnus, Magiſter in Theologia, in ſacris litteris plenè eruditus, & diuinarum non expers, ac diuini verbi declamator inſignis, ſcripſit Sermones plurimos Dominicales, ſermones etiam quadrageſimales, qui dicũtur, Anima fidelis. Claruit circa annum 1402. *P. P. mon. ord. & Lean.*

Fr. Antonius Maccus Fauẽtinus, vir in ſacris literis exercitatus, & cõcionator egregius, ſcripſit lib. ſermonũ de tẽpore & de Sãctis. Claruit an. Dñi 1444.

Fr. Antonius de Azario Parmenſis, Magiſter in Theologia, vir opinione doctrinæ celebris, in proclamationibus ad populũ & clerũ, facundus & famoſus. Tranſmiſit ad poſteros ſermones varios, feſtiuos, & de tẽpore vtiliſſimos. Quędãetiã hiſtoriarũ fragmẽta. Et nõnulla alia opera quæ in cõuentu noſtro Forliuiẽſi habẽtur. Claruit an. 1403. Leã. li. 4.

Frater Antonius de Brixia, vir doctrina clarus, & fidei aduerſus hæreticos tuendæ propugnator inſignis, eorundẽ cenſor Brixiæ factus, qui & per totam Italiam fuit diuini verbi tuba præclara, & vbique valdè accepta, ſcripſit ſermones varios nec aſpernandos. Claruit circa annum Domini 1490.

Frater Antonius de Giſlandis de Iaueno, hæreticæ prauitatis inquiſitor Taurinenſis, vir doctus, & tam in ſymbolica Theologia, quàm etiam in humanis litteris non infinè verſatus, ſcripſit

librum qui prænotatur Opus aureum,&c. Et continet 8. millia dubia quæ proponit ſuper Euangelia totius anni & ſoluit ea communiter ſecundum doctrinam Patrum. Fuit opus impreſſum Taurini, anno Domini 1507. & poſteà alibi. Claruit anno Domini 1490.

*Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca ſancta ſcribit, quòd opus continet decem millia dubia. An viderit opus auctius ab authore, an verò memoriæ lapſu illud aſſerat, me latet.*

Frater Antonius de Lapenna, natione Hiſpanus, Magiſter in Theologia eruditus, & concionator valdè famoſus, claruit tempore Regum Catholicorum, & fuit Canarienſi Eccleſiæ effectus antiſtes. Collegit in vnum & vertit in idioma Hiſpanicum epiſtolas diuæ Catherinæ Senenſis, quas etiam prælo dari curauit, & dicauit Reuerendiſſimo Dominò Franciſco Ximenio, Archiepiſcopo Toletano. Vitam quoque eiuſdem diuæ Catherinæ Senenſis, & aliquot aliarum noſtri ordinis ſororum, compoſuit, vel vectit in linguam vulgarem. Claruit tempore regum Catholicorum.

Frater Antonius Ferrarienſis, vir ingenio præſtans, religione & doctrina conſpicuus, in Theologia non mediocriter doctus, & aliarum ſcientiarum notitia clarus, Poſteritati nomen ſuum celebre reddidit, ſcribendo ſuper Pſalmos Gloſſemata Latino & vulgari ſermone. Expoſitionem ſuper Iob. Homilias quinquaginta elegantes, ſuper canonicam D. Petri. Homilias quadraginta, ſuper Pſalmum, Beati immaculati, &c. Commentaria in primam partem diui Thomæ, duobus voluminibus diuiſa. Commentaria ſuper Metaphyſicam



Ariſtotelis. Super libros Phyſicorũ, & de Anima, Ariſtotelis. Super libros de cælo & mundo, eiuſdem Ariſtotelis. Super libros Perhiermenias Ariſtotelis. Super libros Poſteriorum, & ſuper prædicamẽta Ariſtotelis. Super prædicabilia Porphyrij. Super Sphæram. Quotlibeta nonnulla, quibus quæſtiones multæ, naturales & Metaphyſicæ enodantur. Concilia ad diuerſas materias pertinentia, declarationes multorum caſuum. Opus vnum in quo per modum quæſtionum prolixè declarat confeſsionales materias Sancti Antonini Archiepiſcopi Florẽtini, quod dicitur, Defecerũt. Interrogatorium ſatis amplum pro introductione inquiſitorum hæreticæ prauitatis. Tractatum pulchrum & Latinum, & vulgari ſermone, de corpore Chriſti. Duo quadrageſimalia. Homilias triginta de beata Virgine, & quilibet dicitur Mariale. Orationes quadraginta ſatis Latinas & emũctas, pro diuerſis materiis. Libellum pro ſimplicibus perſonis, qui dicitur, Scala ſpiritualis profectus. Tractatum vnum de hoc, an in Adam, an verò in Abel inceperit Eccleſia. Claruit circa annum 1516. Leand. lib. 4.

Frater Antonius de Parma, vir non indoctus, nec triuialis diuini verbi concionator, & multis aliis nominibus commendandus, ſcripſit ſermones varios ſuper Euangelia Dominicalia totius anni. Sermones quadrageſimales, qui dicuntur Medulla ſermonum. Et fuit liber impreſſus Pariſiis, anno 1515.

Frater Antonius de Brixia, alter ab eo cuius anteà memini, vir vt cunque eruditus, & concionator egregius & facundus, ſcripſit ſermonum vo-

lumen vnum. Vixit circa annum 1530.

Frater Antonius ab Afonſequa, natione Portugallus, Magiſter in Theologia, vir linguarum notitia clarus, ſcripturæ ſacræ lectione multa exercitatus, & concionator inſignis, qui in Vniuerſitate Conimbricēſi ſacras literas aliquando miro cum omnium applauſu fuit profeſſus, & poſt tempus aliquod à Ioanne 3. Rege Portugalliæ Oliſibonam aſcitus fuit, vt eſſet concionator regius. Scripſit in Commentaria Reuerendiſſimi D. Caietani ſuper Pentateuchum adnotationes quaſdam. Plura eius non vidi. Claruit anno Domini 1542.

Frater Antonius de Marraſa à Martina (ciuitas eſt in Apulia) vir & ingenio & litteratura eximius, qui & aliquando Regens fuit ſtudij Neapoli, in conuentu noſtro Sancti Dominici, & ibidem publicus Metaphyſicæ profeſſor, ſcripſit eruditum opus de anima, & in eo diſputat de immortalitate illius & de multis aliis ipſam concernentibus. Liber fuit impreſſus Neapoli, anno Domini 1550. & dicatus illuſtriſſimo D. Cardinali Garraſæ, &c.

Frater Antonius de Colle-Moncio ex prouincia Romana, vir ingenio præſtanti præditus, religione & doctrina apud omnes ſatis notus, ſcripſit librum de ſuprema felicitate, quo etiam diſcutit ingenioſè. Quantus ſit ſpirituum Angelicorum numerus, & fuit (ni fallor) Peruſij impreſſus, Viuebat adhuc anno 1576.

Fratet Antonius de Sancto Dominico, natione Luſitanus, ſeu (quod idem eſt) Portugallus, patria Conimbricenſis, vir ingenij magno acumine & admodū expediti natura præditus, bonis literis ſufficiēter inſtructus, in Ariſtotelica & ſcholaſtica



doctrina inſigniter doctus, nūc ſacræ Theologiæ primarium profeſſorem agit in florētiſſima Vniuerſitate Conimbricenſi, dum adhuc in religione tirunculus foret, ex Latina lingua in vulgarem Portugallenſem vertit ſanctorum inſignium virorum noſtri ordinis vitas, ad cōmunem omnium, illorum tamen præcipuè vtilitatem qui Latinam non callebant, vel non ita exactè, eos ex D. Antonini hiſtoria & ex aliis colligendo. Studiorum verò illius quibus nunc incumbit, fructum innumera ſtudioſorum Theologorum percipit turba, & poſtmodum ſui ingenij & eruditionis opera Reſpublica Chriſtiana ſuſcipiet. Viuit iſto anno 1579. bonus Chriſti miles militiam bonam iugiter militans.

*Adduci non poteram, vt hac Bibliotheca noſtri ordinis mei memoriam à meipſo faciendum rationi conſonum putarem. Sed quorumdam impulſus ſuaſibus quos multa veneratione proſequor, id minimè præterire poſſum, & ad id faciendum prouocari potui quorumdam qui his noſtris temporibus in ſimili argumento verſati ſunt, & aliorum qui præceſſerant exemplo, à quibuſmet in ſimilibus catalogis ipſorum propria nomina non fuiſſe prætermiſſa leguntur. Sed D. Auguſtini teſtimonium habens præ oculis lib. 17. contra Fauſtum, cap. 4. & eorum quos ibi refert ſequendo exempla, de meipſo in tertia perſona loquar, vt ſic etiam magis ſcriptor rerum quas pertracto iudicari poßim & debeam, quàm meipſius commendator appaream.*

Frater Antonius de Conceptione anteà dictus, cum per religionis ingreſſum ſe Deo dicauit, & religionis ſacræ D. Dominici habitum in conuentu S. Mariæ de Miſericordia de Aueiro ſuſcepit, poſtmodum verò ob ſpecialẽ deuotionis affectum quem erga D. Catharinam Senenſem gerebat, Senẽſis cognominatus, natione Luſitanus, patria Vimanarenſis, in Diœceſi Bracaranenſi, poſtquàm liberalium artium ſtudium Oliſibonæ, & Theologicum Conimbricæ in collegio D. Thomæ abſoluit, & Oliſibonam reuocatus curſum artium prælegit, de ſuperiorum licentia Louanij hæſit per vndecim, aut circiter, annos, & in illa Vniuerſitate fuit ad omnes Theologiæ gradus vſque ad Magiſterium incluſiuè promotus, & in generali capitulo Barchinonæ celebrato, illius ſtudij factus eſt Regens primarius. Louanij agens, ſuis priuatis ſtudiis ſemper curauit & D. Thomæ opera illuſtriora reddere, & rempublicam Chriſtianam pro poſſe iuuare. Nam teſtimonia Patrum, prophanorum authorum, & demum quæcunque alia citat S. Tho. ſolum in confuſo in tota ſua ſumma Theologiæ (vocant communiter partes D. Thomæ) indefeſſo labore perquiſiuit, & in margine quonam libro & capite vnumquodque illorum haberetur adnotauit, trium annorum cum medio tempus eo in ſtudio conterens. Quando etiam D. Thomas in eadem ſumma ſuam doctrinam connectendo, inquit, vt ſuprà dictum eſt, vel infrà dicetur. In margine etiam deſignauit loca ad quæ ſeipſum remittit. Et quidem in huiuſmodi concordantiis hoc ſecundo loco dictis (vt ipſemet fatetur in epiſtola ad lectorem quam operi præfi-



xit) iam olim laborauerat quidam eruditus pater Bruxelenſis pro magna parte, ſed plurimas citationes ab eo prætermiſſas ſuppleuit, alias auxit de nouo, plurimáſque correxit. Hos primarios ſuorum ſtudiorum fructus dicauit excellentiſsimo principi, ac Domino, D. Antonio, Maximo Priori Cratenſi, Sereniſsimi olim Regis Portugalliæ Ioannis 13. nepoti ex fratre. Eidem ſummæ aliam epiſtolam, ad lectorem ſcilicet, præfixit, qua eum admonitum reddidit de aliquibus obſeruandis circa illas citationes marginales. Eædem marginales indicationes appoſitæ fuerunt partibus D. Thomæ Romæ excuſis. Hoc opus impreſsit Antuerpiæ Plantinus, anno Domini 1569. Anno 1575. eandem ſummam Theologicam D. Thomæ recuſit idem Plantinus eum eiſdem præfatis lucubrationibus, & cum ſimilibus indicationibus marginalibus tunc recens appoſitis ſupplemento D. Thomæ ad tertiam partem, per eundem fratrem Antonium paratis ſimiliter. Iſtud autem ſupplementum ſic illuſtratum, dicauit illuſtri admodum Domino Commẽdatori maiori Caſtelliæ, qui tũc temporis illius Belgici Commẽdatorem agebat. Hęc ſecunda Summę impreſsio fuit euulgata abſque prædictis duabus epiſtolis, dedicatoria ſcilicet, & ad lectorem, ſicut etiam prioris impreſsionis exemplaria complura fuerunt etiam abſque illis diſtracta, quorundam malitia. Sed nec etiam debita mentio authoris, quæ fuerat in ſingulis partibus præfigenda, vti in priori impreſsione, fuit facta, quinimo & epiſtola ſupplemẽto quod tum recens prodibat illuſtratum, appoſita. Poſtquàm verò hæc ſecunda impreſsio iam fuerat euulgata,

& illius aliquot exemplaria diſtracta, in prædictorum notitiam deuenit pręfatus autor frater Antonius, & expoſtulauit his de rebus cum Plantino, & de illo apud eos quorum intererat ſuũ vnicuique ius dicere, & fuit ab illis mandatum, vt suppleret quæ fuerant iniuſtè prætermiſſa ab illo. Porrò ſi tales defectus iniuſti non ſint imputandi Plantino, propter aduerſam valitudinem qua tũc laborauerat admodum grauiter, cùm fuit manus vltima operi impoſita, cuinam imputari poſſit, aut debeat, id huius Bibliothecæ ratio non poſtulat pertractare. Id tamen ſubticendum non eſt, quòd omnes rei litterariæ ſtudioſos qui tunc fuerunt pręedictorum conſcij, malè habuit, nec deerant inter eos forſan qui prædicta quorundam ſtudio & induſtria fuiſſe facta, palàm affirmarent. Sed horum omnium rerum iudicium Chriſto Domino reſeruetur potiùs, cui in omnibus & per omnia, vt noſtra placeant, curandum eſt. Prædicta Epiſtola ad lectorem, qua de nonnullis obſeruandis in lectione illius ſummæ admonetur lector, appoſita fuit ſummæ Diui Thomæ cum commentariis Domini Caietani impreſſa Lugduni anno Domini 1575. & cum prædictis Lucubrationibus omnibus, authoris illius nulla mentione facta, & hoc propter pœnas quæ ponuntur in priuilegio dato Plantino in priori impreſsione, vt nullus infra decennium talem poſſet ſummam recudere, &c. Id ipſum quod in partibus D Thomæ, in quæſtionibus diſputatis & de Veritate, & in aliis quę his annexæ ſunt, etiam præſtitit, impreſsitque eas Antuerpiæ Petrus Bellerus, anno 1571. & eas dicauit Reuerendiſſimo patri generali, & patribus



Romæ in capitulo generali congregatis, & tam huiuſmodi lucubrationes omnes, quàm etiã quas in omnes quatuor partes D. Thomæ parauit, Romam miſit (id illi mandante tunc totius ord. prædic. moderatore vigilantiſsimo, fratre Vincentio Iuſtiniano, poſteà verò Cardinali illuſtriſſimo) vt ibi & partibus diui Thomæ & quæſtionibus eiſdem diſputatis insererentur, prout etiam factũ eſt

Poſtmodum verò Catenam auream D. Thomæ ſuper 4. Euangelia ad plura exemplaria antiquiſſima manu ſcripta contulit, & innumeris penè mendis ſcatentem repurgauit, & ſuo priſtino nitori reſtituit: & ſimilibus indicationibus marginalibus illuſtrauit. Impreſſit opus Plantinus, & duos priores Euangeliſtas dicauit Reuerẽdiſsimo Domino Epiſcopo Leodienſi, duos autem poſteriores Reuerendiſſimo Antuerpienſi Epiſcopo Sonnio.

Poſteà D. Thomæ explicationem, ſiue cõmentarium in Geneſim, eruditum & vſque ad illud tempus nunquam excuſum, in tenebris deliteſcentem, ab illis eruit, & in lucem emiſit, ac dicauit illuſtriſſimo Domino, Duci de Metinenſi, tunc temporis gubernatori per regiam Maieſtatem illius Belgici deſignato. Impreſſit Antuerpiæ Bellerus Stebſij gener, & paulò pòſt fuit Lugduni recuſus, & Pariſiis. Anno 1575. rogatus ab illuſtri admodum Domino, & integerrimo ac clariſſimo viro Domino Franciſco Giraldi oratore ſereniſſimi regis Portugalliæ in Anglia, vt homilias quaſdam ſeu meditationes quas ſereniſſimus Cardinalis infans Portugalliæ Henricus in ſui ſpiritus conſolationem compoſuerat, & idiomate vulgari ad

ædificationem multorum imprimi permiſerat, vt in linguam Latinam verteret, id fecit, & conuerſas nõnihil poliri curauit, & vt iuſtus libellus prodiret, vnà tractatum eruditum Humberti de tribus eſſentialibus votis religionis, cum duabus aliis concionibus imprimi curauit. Opus autem eidem pręſtantiſſimo Domino cuius ſuaſu & precibus ad talem traductionem faciendam fuerat impulſus, dicauit. Fuit autem opus impreſſum Louanij per Seruatium Saſchenum, anno domini 1575.

In Septembri eiuſdem anni 1575 relicto Belgio ſe Romam contulit, vt etiam illius anni ſancti ſpiritualiũ fructuum fieret patriceps, & tali peregrinatione ſuſcepta, ne etiam tunc ſibi ſoli viuere videretur, vbicunque in Bibliothecas incidit, obſeruauit, ſi quid piam noui occurreret & opportunum ad illud, quod animo conceperat, huic Bibliotheca ſcilicet ordinis ſui conſcribendæ accõmodum eſſet qua complecteretur eos ſolos authores, quos ſui inſtituti fuiſſe deprehenderet, Itaq; bibliothecas quaſuis priuatas & publicas diligenter perluſtrãs, per legensq; eos qui annales ordinis conſcripſerant, adnotauit quæ ad hanc rem opportuna fuere illi viſa. Quod vt faceret magis conuenienter, cõcepit Chronicon breue ſui ordinis compilare, & in duos libros diſtribuere: quorum prior generoſæ ſobolis D. Dominici partem aliquam comprehẽderet, poſterior verò hic catalogum authorum ſui ordinis & operũ, quæ iidem authores ediderunt. Totumque ad Dei omnipotentis gloriam & ſui ordinis decus & ornamentum.

Cùm primùm ex Portugallia ad Flandriæ partes

tes



tes appulit, in inſula de Flerim in quodam patrum Minorum cõuentu inuenit D. Tho. Cõmentarium in Geneſim & alium in libros Machabæorum. Et quidem priorem illum commentarium iam ab annis aliquot in lucem emiſit: poſteriorem verò penes ſe vſq; ad hoc tempus anni currentis 1584. retinuit, ſed nunc Pariſiis dare prælo parat, & ſimul ſeptẽdecim Sermones præclaros ad Monachos Cæſarij Arelatenſis epiſcopi, quos Neapoli apud patres Carbonarios D. Auguſtini ordini manu ſcriptos, & in tenebris deliteſcentes in Bibliotheca quæ fuerat clariſſimi viri, & illuſtriſſimi D. Cardinalis Seripandij inuenit, & tranſcribi fecit, & demum perlectos & in multis correctos ad communem omnium vtilitatem in lucẽ breui emittere cogitat cum prædicto D. Tho. in lib. Machab commentario ſimul.

Compoſuit & opus Theologicũ in quo plures quæſt. Theologas & præſertim fidei materiã concernentes pertractat, & illud iam iam etiam typis mandare conatur.

Aliud opus compoſuit de quintuplici ſtatu hominis, in quo diſtinctè quæ eſſe & poſſe illius in quolibet ſtatu conſiderati concernant, quidue ille cognoſcere poſſit & agere diſputat, & inter diſputandum hęc, nouellas quorundam & profanas quaſdam impugnat ſententias.

Aliud opus etiam Theologicum parare cœpit à multo tempore, & iam habet pro magna parte confectum, de Comparatione virtutum, & vitiorum tam in generali, quàm in ſpeciali, opus vtiliſſimum futurum vniuerſis ſtudioſis (vt putat) ſi Dominus illi concedat abſoluere.

C

Aliud etiam habet præ manibus Theologicum, cui quia necdum titulum præſcripſit, in tempus illud reſeruandum ducit, quo in omnium commodum illud euulgabit.

Ex idiomate materno in Latinam linguam vertit nonnulla, quæ etiam meliora tempora expectans tunc prælo danda decernit.

Vitam ſereniſſimæ D. Principis D. Ioannæ, filiæ Portugalliæ regum, D. Alphonſi huius nominis quinti, & ſuæ conſortis, D. Eliſabetæ, quæ in ſanctimonialium ordinis prædicatorum conuentu, ſito in oppido Aueirienſi, & de Ieſu nuncupato, religionis habitum ſuſcepit, ex quibuſdam Annalibus collegit, & in linguam Latinam vertit, Latinas etiam fecit vitas, D. Petri Gundiſſaluij, & D. Gundiſſalui de Amarātho, & beati Petri Conuerſi, & has coniungens cum vita D. Ægidij, ſiue Gilij Sanctereneñſis, quam vir clariſſimus Andreas Reſendius compoſuerat, & nunquam adhuc fuerat typis mandata, iam iā prælo dare feſtinat in commune totius Chriſtianæ religionis commodum, & præſertim religioſorum ordinis præfati, cuius diui hi omnes, vel beati fuerunt. & omnes Portugalli.

Chronicon etiam generale habeo paratum rerum omnium notabilium quæ ab anno Domini 1000. vſq; ad hæc noſtra tempora in orbe contigiſſe potui deprehendere. cętera vita comite.

Frater Antonius, Archiepiſcopus Florentinus, vir ingenio felix, memoriæ tenaciſſimæ, Theologus inſignis, in hiſtoriarum lectione aſſiduus, & in diuinis ſcripturis valdè exercitatus, vitæ autem ſanctitate clariſſimus, & demum inter diuos confeſſores & pontifices poſteà relatus, ſcripſit ſummam hiſtorialem qua à principio mundi vſque ad ſua tempora hiſtorias proſequitur. Summam Theologiæ moralem in 4 partes diſtributam, & in prima quidem agit de anima, de potentiis eius, de paſſionibus, & de cauſis peccatorum, & de nocumento quod inferunt, ac demum de multis legum generibus, In ſecunda agit de ſeptem peccatis mortalibus, & de eorum ramis, & de infidelitate, &c. In tertia agit de officiis cuique hominum ſtatui propriis, quod opus, de ſtatibus hominum appellauit, & in eo de cenſuris, &c. & de ſeptem ſacramentis Eccleſiæ tractat. In quarta de quatuor virtutibus Cardinalibus, & de tribus Theologicis, & de gratia & donis ſpiritus Sancti, adiungens etiam 46. ſerm. in laudem beatę Virginis. Summam de caſibus conſcientiæ, quæ dicitur, Defecerunt: quia à tali verbo exordium ſumit Dialogum Domini & diſcipulorum euntium in Emaus. Confeſſionalia duo in lingua vulgari. Compoſuit etiam tractatum de decem præceptis, & de ſeptem peccatis mortalibus per modum interrogationis faciendę ante confeſſionem &c. Volumen magnum ſuper primum caput Lucę, tractando in eo de Annuntiatione & ſalutatione Angelica, &c. Multa alia Latina & vulgari lingua conſcripſiſſe dicitur. Claruit anno Domini 1460.

Frater Aquinus Teutonicus, natione Sueuus, vir ingenio pręſtans, ſermone comptus, Philoſophus inſignis, Mathematic⁹ excellēs & Theologus pręſtātiſſim⁹, & demū multigena eruditione præditus fuit. Is Boëtiū imitatus, ſcripſit librū de numerorū

proportionibus. Epiſtolas doctrina refertas, ad diuerſos. Sermones varios. Claruit anno Domini 1494. Alb. Ven.

Frater Ardengus Papienſis, vir & vitæ & eruditionis merito commendabilis, & vti viuens fuit ſtudio deditus, & docendi munus obiit ſedulò, ſic quoque ſermonibus variis & de tempore & de ſanctis, per totum annum deditis, poſteros nunc illuminare non ceſſat. Claruit circa annum Domini 1562.

Frater Armandus de Bello viſu, Bononienſis, Magiſter in Theologia, & ſacri palatij etiam factus aliquando, vir ingenio acri, & ſingulari literatura præſtans, aliis ea quæ abſtruſa erant & difficillima, peruia & facillima faciendi, eoſque inſtaurandi cupidus ſcripſit. Librum vnum quo tam Philoſophiæ, quàm etiam Theologiæ terminos difficiles exponit. Cōmentaria quoque in librum de ente & eſſentia. D. Thomæ ſuper quatuor libros Sententiarum Commentaria. Expoſuit quoque illum hymnum. Veni creator ſpiritus, &c. Multa alia ſcripſiſſe fertur. Claruit anno Domini 1296.

Frater Auguſtinus Iuſtinianus Genuenſis, Epiſcopus Nebienſis, vir grauiſſimus, & doctrinæ opinione celebris, qui literas Hebræas, Græcas, Arabicas & Chaldaicas egregiè callens, & in Ariſtotelica doctrina, & in Theologia eximiè doctus, in oratoria qnoque fuit arte inſignis & in diuinarum literarum lectione multùm verſatus, ſcripſit his linguis, ſcholia plura & vtiliſſima ſuper vtrumque teſtamentum. Edidit quoque Pſalterium octuplum, Genuæ impreſſum anno Domini 1516,



& in ſingulis foliis in prima facie habetur editio Hebraica, in 2. Latina illi correſpondens, in 3. Latina cōmunis, in 4. Græca, in 5 Arabica, in 6. Paraphraſis Chaldaïa, &c. In 7. Latina correſpondens Chaldææ. Vltima complectitur ſcholia. Ad eundem modum vniuerſum teſtamentū nouum & vetus parauit. Librum quoque Rabbi Moyſi Ægyptij qui inſcribitur, Dux ſiue Director dubitantium, ex Hebræo in Latinum vertit & dicauit Reuerendiſſimo Stephano Poncherio Archiepiſcopo Senonenſium. Liber eſt in folio, fuit impreſſus Pariſiis, anno 1520. Claruit anno Domini 1520.

Frater Auguſtinus Marciagninus Florentinus, vir in Philoſophicis magnus, & in Thologicis & Arithmeticis perquàm ſtrenuus, ſcripſit (vt audio) ſuper totam ferè Philoſophiam Ariſtotelis Et ſcripta eius in veneratione magna haberi Florentiæ feruntur.

Frater Aimerichus Placentinus, qui fuit geneſelis Magiſter noſtri ordinis, duodecimus in ſerie, vir in ſacris literis & in humanis magnificè doctus, & pulchrè inſtructus, & in rebus agendis prudentiſſimus, ſcripſit Tabulam ſuper libros D. Auguſtini de Ciuitate Dei. Literas varias & doctas, exhortatorias ad benè beateque viuendim. Plura eius non vidi. Claruit anno 1327. *P. P. Mon. Ord.*

Frater Baltaſar Vverlinus Teutonicus, patria Colmarienſis, vir linguarum peritus, & tam in diuinis ſcripturis, quàm in ſcholaſtica doctrina exercitatus, ſcripſit Additionem ſecundam ad Tritemiū de Scriptoribus eccleſiaſt. qua & aliquot authores ab eo prætermiſſos, & alios qui poſt illius tempora emerſerunt, complectitur & recenſet.

Fuit autem talis additio impreſſa & adiuncta Triſtemio, anno Domini 1546. quo ille tempore claruit Alia ſcripſiſſe fertur, quæ non vidi.

Frater Baltaſar de S. Ioanne. Portugallus natione, vir ingenio pręſtans, eloquio comptus, in humanis literis verſatus, ac diuinarum non ineruditus, ſcripſit vitam beati Gilij, ſiue Ægidij noſtri ordinis qui in Portugallia in noſtro conuentu. Sancterenenſi reconditus habetur & eam dicauit integerrimo patri, fratri Georgio Vogado, cùm priorē ageret conuentus noſtri de Benfiqua. Cum eadem vita coniunctum vidi officium huius beati Gilij, & illius eiuſdem patrem Baltaſarum fuiſſe authorem arbitror. Plura huius authoris non vidi. Fuit autem hic pater vir grauiſſimus, & aliquando prouinciæ Aragoniæ moderator, vt de ſe fatetur in prędicti beati vita: in qua obiter aduertendum puto, quòd dum ille eiuſdē beati obitum refert ad annum Domini 1379. (niſi forſan id ſcriptoris ſit vitium) fallitur niſi fallor ipſe quia hic beatus ad primum, non ad ſecundum ſæculum noſtri ordinis pertinet. Huius beati vitam hanc cum illius officio coniuncto cõceſſit mihi Vienæ in conuentu noſtro religioſus atque venerandus pater frater Franciſcus Quercus huius nomenclarę ſenior vir grauis, & concionator non obſcurus neque infructuoſus, & multis ſuis meritis iure optimo venerandus.

Frater Baltaſar Sorionius, Magiſter in Theologia in prouincia. Aragoniæ, cuius aliquando fuit prouincialis, vir in rerũ agendarũ prudentia ſtrenuus, religione & doctrina clarus, in patrum lectione verſatus, ſcripſit librum vnum in beatę



Virginis laudem, quem prænotauit Mariale. Liber fuit impreſſus in 4 Derthruſæ (ciuitas eſt Catheloniæ.) Sermones etiam de Sanctis, doctos & copioſos. Homilias 10. ſuper Pſalmum 44 eaſque dicauit Duci Calabrię Librum contra 7. blaſphemias, quem dicauit Reuerēdiſſimo Epiſcopo Ilerdenſi. Liber fuit impreſſus Barchinonæ, anno 1522. Librum etiam de viris illuſtribus noſtri ordinis prouincię Aragoniæ, quem interdum citat frater Vincentius Iuſtinianus in vita diui Vincentij. Vixit adhuc anno 1545.

Frater Baltaſar Brabantinus ex conuentu noſtro Antuerpienſi, vir magnæ facundiæ, & gratiæ in declamandis ad populum concionibus, qui & interdum ab hereticis, quorum fuit infenſiſſimus hoſtis, multa eſt perpeſſus, & quaſi miraculo aſcribitur, quòd eorum aliquando manus euaſit, dum illi mortis laqueum haberēt paratum, ſcripſit homilias de filio prodigo & neſcio quæ alia. Adhuc ſuperſtes erat, anno Domini 1577. in prænominato ſuo conuentu agéns.

Frater Barnabas Vercellenſis, qui doctor iam celebris exiſtens in iure canonico, ordinem intrauit, & in religione ac ſtudio Theologico plurimùm profecit, ac demum in Capitulo Burdegalenſi, anno Domini 1324. celebrato, electus fuit generalis Magiſter ordinis, 15. in ſerie, vir ſingulari prudentia præditus, doctrina & religione clariſſimus, ſcripſit autem Sermones varios prędicabiles. Plura non vidi. Obiit Pariſiis circa annum Domini 1332.

Frater Baptiſta ex familia iudicum Finarienſium,

qui fuit Epiſcopus Vintimilienſis, vir nominis magni, eloquẽtiæ & doctrinæ ſingularis, ſcripſit Dialogum ſuper Euangelium de diſcipulis duobus euntibus in Emaüs. Plura eius ad meam notitiam non venerunt. Claruit circa annum 1468. Leand. lib. 3.

Frater Bartholomæus Vicentinus, vir fuit pluribus & magnis meritis venerandus, prudentia pariter & doctrina præclarus. & primò factus Magiſter ſacri Palatij, inde fuit aſſumptus & factus Epiſcopus in regno Cypri. Poſteà verò inde tranſlatus & Vicentinæ Eccleſiæ factus Præſul, fuit etiam magni æſtimatus à beato Ludouico Francorum Rege, & (vt quidam autumant) illi à ſacris confeſſionibus, à quo & vnam de Spinis Coronæ Domini obtinuit, quam ſecum Vicentiam veniẽs contulit, & in vno conuentu noſtri ordinis quem ibi conſtruxit, eam honorificè collocauit. Is nomẽ ſuum apud poſteros celebre reddidit: ſcribendo. Commentaria in libros beati Dionyſij Areopagitæ. Sermones quàm plurimos diuinarum ſcripturarum & ſanctorum ſcriptis refertos. Legẽdas quoque ſanctorum compoſuit. Habentur hi libri in Bibliotheca communi conuentus noſtri Vicentini. Claruit anno Domini 1255. P. P. *mon. ord. Epiſt. Geſn.*

Frater Bartholomæus Tridentinus, vir religione conſpicuus, fama celebris, & doctrina clarus, & ſpiritu deuotionis feruidus, ſcripſit Legendarium ſanctorum, à quo plurimi poſteà hauſerunt. Plura ſcripſiſſe fertur, quæ tamen ad meam notitiam non deuenere. Claruit circa primordia ordinis. P. P. *mon. ord.*



Frater Bartholomæus, qui fuit Epiſcopus Torſelanus, ac diui Thomæ diſcipulus & auditor ſedulus, vir religionis non modicus cultor, & doctrinæ ſui Magiſtri æmulator vehemens, & animarum zelator eximius, ſcripſit Chronicum à principio mundi vſque ad ſua tempora. Claruit circa annum Domini 1276.

Frater Bartholomæus Hiſpanus, vir non ineruditus, & concionator non vulgaris, ea autem ratione etiam venerandus, quòd minùs doctis & ſufficientibus compatiens, & ſe illis quodammodo debitorem cogitans, ſcripſit ſummam quãdam grammaticalem in eorum gratiam. Plura eius non vidi. Claruit circa annum Domini 1265. Iacob. de Suz.

Frater Bartholomæus de Bolſenech, qui fuit etiam magiſter ſacri palatij, vir eruditionis eximiæ in philoſophia ſæculari & diuina, & vti bonarum artium notitia, ſic etiam ingenij præſtantia, & pluribus aliis animi dotibus fuit excultus & adornatus. Scripſit autem ſuper quatuor lib. ſentent. lecturam non contemnendã. librum vnum de multis materiis Theologicis, qui dicitur, de viro completo. Claruit circa annum 1312.

Frater Barrholomæus de ſancto Concordio Piſanus, vir meritò ab ingenij excellentia multis laudibus efferendus, ac Philoſophia Chriſtiana & humana magnificè doctus, & in vtroque iure ac ſcholaſtica doctrina nõ infimè exercitatus, ſcripſit in poſteritatis gratiam ſummam de caſibus, quæ Piſana dicitur, ſiue Magiſtratia. Fuitque diuerſis vicibus impreſſa. Scripſit etiam ſuper Tragœdias Senecæ, & ſuper Virgilium. Multa alia ſcripſiſſe

fertur. Claruit circa annum 1320.

Frater Bartholomæus Dominici, patria Senenſis, Magiſter in Theologia, vir doctrina & vita clariſſimus, qui & vnus fuit ex primis religionis noſtræ in Italia reformatoribus. Edidit librum, de initio ſtatus fratrum & ſororum ordinis de pœnitentia beati Dominici, qui & fuit Epiſcopus Coronenſis. Claruit anno 1402.

Frater Bartholomæus Lapatius Gilbertini Florentinus, vir ingenio acri, in ſæcularibus diſciplinis eruditus, & in diuinis multùm exercitatus, diſputator vehemens, & verbi Dei præco eximius, & hæreticorum cenſor acerrimus, ac demũ in Theologia Magiſter erudititiſſimus, fuit diſputator electus & deſignatus à patribus Concilij Florentini ad concertationes diſputationum contra Græcos tempore Eugenij 4. Adeò autem expeditus fuit & eloquens in lingua Græca vt etiam ipſis Græcis in illo Concilio iudicatus fuerit non inferior, & in illo & patriarcham Grecorum & Epiſcopũ Epheſinum viros longè doctiſſimos rationibus efficaciſsimis conuicit, & ad rectam fidem conuertit. Et fuit tunc cunctis admirationi magnæ. Poſteà verò fuit miſſus legatus Apoſtolicæ ſedis ad regnum Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ. Scripſit autem librum de glorificatione ſenſuum poſt reſurrectionem. Sermones varios, præſertim quadrageſimales, & ſuper Pſalmum, Miſerere mei Deus. Claruit anno 1438. P, P. *mon. ord.*

Frater Bartholomæus Ferrarienſis, vir ob pietatem inſignem, & eruditionem non vulgarem colendus, vt interim omittam alia quæ in viro fuerunt, multa veneratione digna ſcripſit, etſi plura



quæ ſcripſerit, non ſum conſecutus præter volumen ſermonum. Claruit anno 139 . Ald Ven.

Frater Bartholomęus cognomento Paruus, Bononienſis, Magiſter in Theolog. vir non minùs in Theologicis, quàm in Philoſophicis doctus, imò doctiſsimus, nomen ſuum poſteris notiſsimum effecit, ſcribendo Poſtillam quandam non contemnendam ſuper Euangelium Matthæi. Aliam ſuper Lucam, quæ incipit, Facies quatuor circulos. Et aliam cuius eſt principium, Oblatio iuncti impinguat. Poſtillam ſuper omnes Epiſt. Canonicas, quæ incipit, Ioſuë 6. præcepit Dominus. Claruit anno Domini P. P. *Mon. Ord.*

Frater Bartholomęus de Mutina, vir grauis, prudens, nec aſpernandæ doctrinę, & prauitatis hæreticæ inquiſitor Ferrarienſis valdè diligens, hæreticorum verò hoſtis acerrimus, ſui ingenij & doctrinæ ſpecimẽ poſteris reliquit, ſcribendo librum cui titulum dedit, de filio Dei abſcondito, qui in 6. libros diuiditur. Fuitque impreſſus Venetijs anno 155 & dicatus Domino Ioanni Taruiſino S. Cypriani Muriani Abbati. Librum vnum de peſtilentia, & ſuper regulam D. Auguſtini. Et multa alia quę haberi dicuntur in Bibliothęca communi conuentus noſtri Ferrarienſis. Claruit anno 1448. P. P *mon ord.* & P.

Frater Bartholomęus de Senis, vir non obſcurus in ſcholaſticis quæſtionibus enodandis & in Philoſophicis nobibiliter reſolutus, ſcripſit librum de ſeptem artibus liberalibus ſub digno compendio: ſummam valdè notabilem quæ habetur in conuentu Forliuienſi in Lombardia. Claruit circa annum 1465.

Frater Bartholomæus Sibylla, Monopolitanus, prouinciæ Apuliæ, magiſter in Theolog. Vir præſtanti ingenio & eruditione eximia decoratus, Philoſoſophiæ Chriſtianæ & ſæcularis non mediocrem notitiam nactus & Euangeliſtes inſignis & præclarus. Edidit librum quem inſcripſit, Speculum peregrinarum quæſtionum. In eo eruditè tractat de animabus, de cælo, inferno, purgatorio, de Angelis bonis & malis, de hominibus, & de multis aliis. Liber eſt in 8. in tres decades diuiſus. Fuit recuſus Venetiis, anno Domini 1575. & dicatus olim Alphonſo Calabriæ duci, & poſtmodùm regi Siciliæ Claruit anno 1486.

Frater Bartholomęus de Spina Piſanus, fuit magiſter ſacri palatij, vir quem ob religionis, ingenij, & eruditionis multimodæ præſtantiam, atque in difficillimis quæſtionibus tractandis atque enodandis felicitatem omnes meritò debēt venerari. Hic eo tempore quo Reuerendiſſimus D. Caietanus prælo dari mandauit ſua in D. Thomæ 2. 2. Commentaria, ſuſcepit impreſſioni præeſſe, qua finita, in commendationem operis & vtriuſque Thomæ, epiſtolam præmiſit, in qua etiam recenſet ſolennem illum congreſſum, quem antè illud tempus idem Caietanus Dominus in Minoribus exiſtens habuerat Ferrariæ, ſumma cum omnium admiratione, cum doctiſſimo Domino Ioãne Pico Mirandulano, totius tunc noſtri ordinis moderatore & generali Magiſtro fratre Ioachimo Turriano Veneto præſente, qui poſt diſputationes ipſum ibi mox publicè ad ſe aſcitum in illo ſolenniſſimo conſeſſu, doctorali pileo decorauit. Vt autem ex epiſtola colligitur, quam hic Pater Bartho-



lomæus permittit Metaphyſicæ, ſcripſit commentaria ſuper lib. Perihermenias Ariſt. Super lib. Poſteriorum eiuſdem Ariſt ſuper lib Phyſicorum & de Anima, eiuſdẽ Ariſt. Edidit etiam defenſiones in Metaphyſicam contra Scotiſtas, quos dicauit Cardinali Portuenſi, qui liber fuit impreſſus Venetiis, anno domini 1517. & habetur communiter coniunctus cum Metaphyſica D Thomæ. Poſteà verò ſcripſit volumen vnum, in quo ſequẽtia continentur: Propugnaculum Ariſtot. de Immortalitate animæ contra Thomam Caietanum. Tractatum etiam vnum, qui inſcribitur, Tutela veritatis, de Immortalitate animæ contra Petrum Pomponacium Mantuanum, &c. Flagellum in tres libros. Apologiæ eiuſdem Petri de eadẽ materia. Quæſtiones de ſacro ordine. Volumen hæc continens fuit impreſſus Venetiis in folio, anno 1519 & dicatum illuſtriſſimo D. Cardinali Portuenſi prædicto. Scripſit etiam volumen aliud, quo & ſequentia continentur: Quæſtiones tres de Deo contra Caietanum. Quæſtiones quatuor de perſonalitate. De primis operibus Angelornm art. 5. Quæſtio de informatione animæ intellectiuæ. Tractatus de vniuerſali corruptione generis humani. Tractatus de Cõceptione beatæ Virginis, contra Caietanum. Quæſtio de præſumptuoſo appetitu Epiſcopatus. Quæſtio de ſimoniaca redemptione vexationis Eccleſiæ. Quæſtio de forma Baptiſmi. Quæſtio de neutra intentione baptizati. Quæſtio de neceſſitate baptiſmi paruulorum. Quæſtio de forma conſecrationis ſanguinis Chriſti. Hæc omnia alio volumine comprehenduntur, impreſſo in folio Venetiis, anno 1525. & dicato D. Ma-

riacio Germano Cardinali. Tertium volumen edidit, in quo ſequentia habentur. Tractatus de ſtrigibus. Alius de neceſſitate confeſſionis ante ſacram communionem. Alius de coniugio in gradibus diuino iure prohibitis. Tractatus de diſpenſatione coniugij cum vxore relicta fratris defuncti. Declaratio poteſtatis Eccleſiæ ſuper gradus prohibitos. Quædã dubia breuia abſoluta in materia ſimoniæ. Caſus vnius vſurarij deciſio, quando ſcilicet ſocius in ſe ſuſcepit onus exactionis, & refuſionis ex ſuo faciẽdæ cameræ, ante terminum ſalarium exigens, ad ratam refuſionis factæ ex pacto à ſociis in termino. Caſus matrimonialis deciſio, quando cõtrahens cum infecto morbo Gallico, contra voluntatem propalatam vel etiam non propalatam, eſt à tali matrimonio ſoluta. Quæſtio de præſtantia Alexandri ſuper Salomone in poteſtate & affluentia diuitiarum. Hæc omnia alio volumine continentur, quod fuit impreſſum Venetiis, anno Domini 1535. & dicatũ cui & ſecundum.

Frater Bartholomeus Mauzolus Bononienſis, homo omnium ſciẽtiarum genere inſigniter eruditus fuit. Nam pontificium ius & Cæſarium rite nouerat, Philoſophus fuit inſignis, Theologus non ignobilis, orator & Poëta præclarus. Scripſit librũ, cui titulum fecit Formalitates ſecundũ viam S. Thomæ. Librum vnum de definitionibus, qui fuit impreſſus Bononiæ, an. 1518. Opuſcula aliquot alia ſcripſiſſe fertur, quæ non vidi. Vixit an. 1516.

Frater Bartholomæus Fumus Placentinus, vir ingenio felix, moribus compoſitus, in ſcribendo & conceptus ſuos explicando facilis, doctrina non vulgaris, & religionis præſtãtia venerãdus, ſcripſit



doctam & reſolutam ſummã de caſibus conſcientiæ, quæ ſumma, Armilla cõmuniter nuncupatur. Librũ etiã vnũ multorũ carminũ. Claruit an. 1545.

Frater Bartholomæus Mortarius, vir præclaro ingenio præditus, lingua Latina emunctus, Philoſophus & Theologus egregius, & mira in docẽdo gratia dotatus, præter multas eruditas & elegantes quas confecit orationes, opuſcula nonnulla edidit, vt refert Leand. lib 4. de vir. illuſtr. ord. in c. de cenſoribus hæreticorũ. Scripſit etiam vitã beati Iacobi à Meuaniã, & fratris Iacobi Sextij, & aliorum inſignũ virorũ noſtri ordinis. Claruit an. 1510.

Frater Bartholomæus de Mirãda Carrança, natione Hiſpanus, & Chriſtianiſſimo regi Philippo à cõfeſſionib⁹ ſacris, & poſteà ad Archiepiſcopatũ Toletanum aſſumptus, ſummã Conciliorũ ex illis omnibus diligentiſſimè perlectis collegit. Libellũ etiam cõpoſuit de reſidentia Epiſcoporũ, eã plurimis ſcripturarũ & ſanctorũ Patrũ teſtimoniis & rationibus efficaciter probans eſſe de iure diuino. Librum etiã de patientia ſcripſiſſe fertur, dũ in cuſtodia foret. Scripſit etiam Catechiſmũ ſermone Hiſpanico, ſed illi⁹ lectio ob ratiões aliquot grauiũ virorum qui in ſancto inquiſitionis officio reſidẽt in Hiſpania, fuit aliquando ab illis interdicta. Sed an illa interdictio ſit facta ſolùm ad tẽp⁹ aliquod, an ſimpliciter, & vtrũ etiã alibi forſan ſit idẽ liber intẽditus, aut etiã à ſũmo Põtifice, Chriſti in terris Vicario, ſit forſan liber dãnat⁹, nõ noui exactè. Dũ verò quæ authores noſtri ordinis cõſcripſere opera, in hoc noſtro Chronico cõmẽdo approbare nõ intẽdo quod eſt minimè approbãdũ, neq; Chriſti Vicarius per ſe, vel per eos quib⁹ id habet cõmiſſũ

in quibuſuis partibus, reprobat. Ideò ſi aliquorum forſan librorum lectio, quos ab inſtituti nostri authoribus conſcriptos refero, ſit alicubi per eos quibus eſt iſtud munus commiſſum, prohibita, ab illis legendis, vt à cibariis noxiis & mortem adferentibus noſtris animabus, quàm diligentiſſimè caueamus omnes, neceſſum eſt prorſus. Obiit Romę in couuentu noſtro, ſuper Mineruam, in principio Maij anni 1577.

Frater Bartholomęus de Martyribus, natione Portugallus, vir in Philoſophicis & in Theologicis doctiſſimus, & in ſacrarum literarum ac ſanctorum patrum lectione exercitatus, per plures annos Theologiã pręlegit olim excellentiſſimo principi, Domino, D. Antonio, per hęc noſtra tempora licet à ſuò regno profugo Portugallię Regi ſereniſſimo, & ſicuti doctrina, ſic etiam religione & vitæ ſanctitate clariſſimus. Vnde & meruit propterea ad Archiepiſcopatum Bracarẽſem ſublimari, licet toto conatu priùs fuerit reuiſus, cui anno Domini 1582 renuntiauit, & ad religionis portum tranquillum contulit. Concilio Tridentino interfuit, & fuit ab omnibus patribus maximi habitus ob doctrinam eximiam, cum vita probatiſſima & integerrima coniunctam. Qui dum ei in concilio deliberandi ſuper re qualibet dabatur locus, paucis multa comprehendere conſueuerat, aliis in eodem conſeſſu multa multis, aliis verò pauca multis complectentibus, edidit librum cui titulus eſt, Stimulus paſtorum, eumque compilauit ex ſelectioribus patrum ſentẽtiis, vt per illius lectionem munus ſuum diligenter exequendum paſtores incenderentur. Eſt liber in 8. & tum Romę ante paucos annos, tum etiam Oliſbonæ fuit impreſſus. Catechiſmum, ſiue doctrinam Chriſtianam, & rerum ſpiritualium veluti ſummam, etiam edidit: idiomate tamen Portugallenſi, ad informationem paſtorum ſimplicium, vt haberent inde quo poſſent ſimplicem plebem informare. Librum vnum habet ſub manibus iam abſolutum, qui inſcribitur, Compendium documentorum vitæ ſpiritualis. Expoſitionem quoque in Pſalmos, eos præſertim qui difficiliores ſunt, ſed hæc duo poſtrema necdum in lucem emiſit. Viuit adhuc iſto anno 1584. in conuentu noſtri ordinis Viennenſi degens, quem à primis fundamentis conſtrui iuſſit, & illius ſtructuram adhuc proſequitur, etiam ex pecuniis quas ſuper Archiepiſcopatum in penſionem habet aſſignatas, & nihil eſt illi iocundius quàm iugem Domino Deo famulatum præſtare, ſum illum iugiter laudando opere, & veritate, & verbo, tum etiam *



Frater Bartholomæus de Angelo Neapolitanus, ſacrę Theologiæ Bacchalaureus, in Regio noſtro conuentu S. Dominici Neapoli agens, vir eruditus & meritò venerandus, atque in rebus antiquis euoluendis ſedulus, curioſus, & exercitatus. Scripſit Italica lingua ad inſtructionem fidelium libellum de Roſario beatæ Virginis. Alium qui dicitur, Conſolatio pœnitentis, in quo de indulgentiis, de oratione, de confeſsione, & de multis aliis pertractat. Libri fuerunt impreſsi Neapoli anno Domini 1575. Scripſit etiam Italicè alium qui dicitur Theſaurus mendicantium, in quo agitur de ortu ordinum mendicantium, de eorum dignitate, & de authoribus. Confeſſionale etiam per mo-

dũDialogi,interEpiſcopũ &examinãdũ ad audiẽtiã cõfeſſionũ. Sed hos duos poſtremos libellos nõdũ euulgauerat an. Dñi 1577 quo adhuc viuebat.

Frater Bratholomæus Metinenſis, ſacræ Theologiæ profeſſor eximius,& primarius in celeberrima Vniuerſitate Salmantinenſi, Vir humanarum literarum non ignarus, in Ariſtot.doctrina plenè inſtructus,& in ſcholaſticorum concertationibus conſummatiſſimus, & morum probitate & religionis præſtantia nõ minori, quàm doctrina præditus,præter plures etiam alias lecturas ſolennes & doctiſſimas, quas fecit tam in Logicam quàm in Phyſicam & Theologiam, edidit iam cõmentaria in primam ſecundæ D. Thomæ doctiſſima. Plura eius non vidi, ſed multo omnium deſiderio breui ſperantur alia ad cõmunem omnium vtilitatem emittenda. Viuit adhuc iſto anno 1579.

Frater Benedict⁹ magiſter in Theologia,qui poſteà fuit factus Cumanus antiſtes, vir eruditione clarus,honeſtate morum & rerum agẽdarum peritia ſplẽdidus,compoſuit librum vnũ multarum quæſtionũ Theologicaliũ.Claruit anno Dñi 1262.

Frater Benedictus Tamacedus de Peruſio, vir opinione doctrinæ celebris ingenij,religionis omniumq́ue virtutũ animi ornamentis ſuffultus,ſcripſit librũ ſiue tractatũ cõtra errores Fratricellorum de paupertate Chriſti. Lecturam ſuper quatuor libros ſentent. Sermones prædicabiles, & ſolennes collationes. Claruiſſe proditur circa annum 1262.

Frater Benedictus de Vrbe-veteri, vir eruditus, fuit concionator facundus,& fructuoſus, vt etiam ſermones tam de tempore,quàm de Sanctis quos compoſuit teſtantur. Quòd plura ſcripſerit, me fugit. Claruit circa annum Domini 1261.



Frater Benedictus Nonocomenſis, magiſter in Theol. Pariſienſis, vir qui & in præſtantia ingenij & doctrina cum celebratiſſimis ſuo tempore conferebatur. Primus omnium fuiſſe memoratur qui dicta beati Thomæ quæ diſſona eſſe videbantur, ad concordiam reuocare conatus eſt. Claruit circa annum 1318. *P. P. Mon. Ord.*

Frater Benedictus Veronenſis,vir in diuinis ſcripturis exercitat⁹,ingenio promtus, & eloquio clarus,ſcripſit ſermones de tempore & de Sanctis per totũ annũ. Super orationẽ Dominicã. Sermones ſuper Symbolo Apoſtolorum.Sermones ſuper 10. præcepta. Claruit circa annum 1420. *P. P. mon. ord.*

Frater Benedictus 11. ſummus Pontifex ex noſtro ordine aſſumptus, videatur infra in verbo, Nicolaus de Triuiſio.

Frater Benedictus Crinigrandus ex prouincia Aragoniæ,magiſter in Theol. Pariſienſis, & frater Benedict⁹ de Sentino Cameracẽſis ſocietatis Ieſu, fœdus inter ſe iniere,qui ambo fuerunt viri graues & docti, Prior tamẽ tã in peripateticorũ doctrina, quàm in ſcholaſtica iſto eminẽtior,& qui de Sẽtino cognominatur,cõmẽtaria ſcripſit in Logicam, claruit an.1314. Ali⁹ verò ſcripſit ſuper 4. lib. ſentẽ. & claruiſſe fertur circa annũ Dñi 1420. *Ald. Ven.*

Frater Benedictus Soncinas, vir in Ariſt. doctrina apprimè exercitatus, Diuinarum literarum ſtudioſiſſimus,& in ſcholaſtica doctrina,in quã prælegendã plures annos inſumpſit, doctiſſimus, cõpilauit in vnum volumen ex omnibus operibus Ariſtot. præcipuas ſentẽtias,& opus dicauit D. Antonio Pizamano, patricio Veneto. Et in epiſtola meminit,quomodo quidã noſtri ordinis Theophilus

Cremonenſis in eodem fuerat argumento verſatus. Sed is Benedictus opus reddidit auctius, emunctius, & clarius. Fuit liber impreſſus Venetiis, anno 1493.

Frater Benedictus Morobettus à Monte regali, lector Vicentinus, vir in politioribus literis eruditus, & diuinarum ac ſcholaſticæ doctrinæ valdè ſtudioſus, ſcripſit orationes aliquot eruditas, quarum vnam quam repræſentauit Bononiæ in Comitiis factis ibidem anno 1564. magis commẽdauit eruditio & eloquẽtia. Plura eius nõ vidi.

Frater Bernardus de Trillia diœceſis Nemanceſis, magiſter in Thologia, & prouinciæ Prouinciæ aliquando Moderator egregius, vir fuit prudentiſſimus & in rebus agẽdis dexter, ingenio felix, iudicij acrimonia magnus, & ad intelligentiam ſublimium quæſtionum excelſus, & præter hæc quòd in doctrina D. Thomæ fuit excellenter & ſolidè inſtructus, fuit quoque in ſacris literis non modicùm exercitatus. Scripſit autem tractatum animæ coniunctæ cum corpore.

*Poſtillas ſuper Eccleſiaſtem.*
*Poſtillas ſuper lib. Sapientiæ.*
*Super Ioannem vſque ad II. cap.*
*Poſtillas ſuper Apocalypſin.*
*Super Pſalterium.*
*Super Cantica Canticorum.*
*Quæſt. de differentia eſſe & eſſentiæ.*
*Quæſt. de anima.*
*Quæſt. de potentia Dei.*
*Quæſt. de ſpiritualibus creaturis.*
*Quodli eta aliquot.*
*Quæſt. ſuper totam Aſtrologiam.*



Scripſit etiam tractatum de cognitione Animæ ſeparatæ, ſed hunc morte prȩuentus non abſoluit. Multa alia ſcripſiſſe fertur. Claruit circa annum 1292. *P. 4. mon. ord.*

Frater Bernardus natione Hiſpanus, vir ſpectabilis famæ, religione præſtans, Theologus non obſcurus, Philoſophus inſignis, & in diuinarum ſcripturarum lectione aſſiduus & diligens, ſcripſi ſuper aliquos Bibliorum libros. Quodlibeta tria. Quæſt. de ſpirationibus creaturis, & de potentia Dei. Librum de anima corpori coniuncta, & ab illo ſeparata. Claruit autem anno * Leand. lib. 4.

Frater Bernardus Claremontanus, ſacræ Theolog. Bacchalaureus, vir ingenio acutus, ſcientia conſpicuus, & doctrinæ D. Thomæ defenſor ſtrenuus, & propugnator acerrimus, ſcripſit pro defenſioue D. Thomæ contra Henricum à Gandauo & Gottidifredum de Fontibus. Contra Iacobum Viterbiẽſem ord. heremitarum S. Auguſt. Librum alium. Commentaria ſuper 4. libros ſentent. Claruit anno 1292. *P P. mon ord.*

Frater Bernardus Arnoldi Toloſanus, vir in ſcholaſticis concertationibus & in ſcripturarum diuinarum lectione vtcũque verſatus, ſcripſit Poſtillas ſuper 7. Pſalmos pœnitentiales. Aliam ſuper Apocalypſin. Plura eius ad meam notitiam non venere. Claruit circa annum 1295.

Frater Bernardus Guidonis, qui fuit etiam factus Epiſcopus Lemouicenſis, vir literaturæ eximiæ, & in euoluendis hiſtoriis diligentiſſimus, ſcripſit Speculum hiſtoriæ in quinque partes diſtributum. Claruit anno 1296. *Ald. Ven.*

Frater Bernardus de Caſtris Sancti Vincentij,

vir in naturali & in morali Philoſophia egregius, nec minoris peritiæ in Chriſtiana, in euoluendis autem antiquorum annalibus diligẽtiſſimus, ſcripſit Chronicam noſtri. Ord. ab illius exordio vſque ad annum 1304. cuius Archetypus in Bibliotheca noſtra Bononienſi adhuc ſeruatur. Cõtexuit etiam annales ſummorum Pontificũ & Imperatorum vſque ad Ioannẽ 22. Scripſit etiam tractatũ de Synodis generalibus, à primo Cõcilio in eccleſia Dei celebrato vſque ad ſua tempora. Et iſtud opus ſeruatur Romæ in Bibliotheca ſummi Põtificis, vt refert frater Hieronym9 Albertutius Bononienſis. Cõpoſuit etiam vitam fratris Aldobrãdini Coualgantes Florentini, & vitam fratris Angeli Aciapoli Archiepiſcopi Florentini, qui ambo fuerũt vitæ ſanctimonia conſpicui, & habẽtur illæ in monumẽtorum ord. voluminibus Mediolani in conuentu noſtro Gratiarũ. Scripſit etiam aliquot alias aliorum religioſorũ & ſanctimonialiũ noſtri ordinis. Claruit circa annũ 1305. P. P. *mõ. ord. & Leã. li. 4.*

Quendam fratrem Bernardum, natione Lombardum, virum non contemnẽdæ doctrinæ refert Albertus Venetus, dũ agit de 7. generali magiſtro ord. ſcripſiſſe ſuper quatuor libros ſententiarum, & quòd claruit circa annum 1292.

Frater Bernardus de Franchouẽ, vir pius pariter & doctus, & concionator non infructuoſus. Trãſmiſit ad poſteros ſermones quàm plurimos. Plura quæ cõpoſuerit, non vidi. Claruit circa annũ 1290.

Frater Bernardus de Parentinis prouinciæ Toloſanæ, cõuentus noſtri Ortheſienſis in Vaſconia, vir ingenio ſubtilis, Philoſoph9 clarus, Theologus profundè doctus, & concionator egregius, ſcripſit



librum que vocauit, Lilium Miſſæ, in quo omnes difficultates ſacri myſterij Miſſæ & ſacri Canonis, ſecundum D. Thomæ doctrinam enodantur. Liber eſt in 8. impreſſus Pariſiis, anno 1531. Claruit anno 1440. *Tritem. & ſupplem. Chron.*

Frater Bernardus de Luzemburgo, vir ingenio præſtãs, diuinarum literarum ſtudioſus, humanarum non ignarus, & vt de literis, ſic & de religione benè meritus, in ſcholaſticis quoque benè fundatus, ſcripſit Catalogum omnium hæreticorum. Tractatum etiam de purgatorio, qui eidem catalogo habetur coniunctus, qui fuit tum coloniæ, anno 1510. tum alibi impreſſus. Claruit anno *

Frater Bernardus Comenſis, hęreticæ prauitatis inquiſitor, vir & grauitate morum & rerum multarum notitia clarus, qui non modò in ea opera quam in hæreticorum cauſis tractandis nauauit ſedulam, iuuit Eccleſiam, ſed etiam in eo quem ad poſteros tranſmiſit librũ, quem pręnotauit, Lucerna inquiſitorum hæreticæ prauitatis. Eſt liber in 8. impreſſus Mediolani, anno Domini 1566.

Frater Bernardus (aliis eſt Bertrandus) natione Teuto, qui fuit Epiſcopus Theſelienſis, & Reuerendiſſimi Epiſcopi Metenſis ſuffraganeus, & in ſpiritualibus Vicarius, vir fuit inter doctos ſui temporis reputatus, & inter concionatores egregios præcipuus habitus, & in rebus agendis valde dexter. Suæ autem eruditionis monumenta reliquit poſteris, ſcribendo opus nõ aſpernandũ ad Cunonem Archiepiſcopum Treuerenſem, prænotatum, de Illuſionibus Dæmonum. Librum etiam de ſchiſmate ad eundem. Sermones varios prædicabiles. Obiit an. Dñi 1387. P. P. *mon. ord, & Tritem.*

Frater Bernardinus de Buſco Mediolanenſis, vir eloquio facundus, & doctrina clarus, & concionator nó obſcurus. Scripſit librum ſermonum, cui titulum fecit, Roſarium ſermonum prædicabilium, quem dicauit D. Bernardino Cardinali ſanctæ crucis in Hieruſalem. Eſt liber in 4. diuiſus in duas partes, & fuit impreſſus Venetiis anno 1498. Claruit anno Domini *

Frater Bertrandus de Trillia, vir eruditionis non vulgaris, in concertationibus ſcholaſticorum, & diuinarum literarum non parũ ſtudioſus, ſcripſit commentaria ſuper 4. lib. ſentent. Alia ſcripſiſſe fertur quæ non vidi. Claruit anno 1296. *Ald. Ven.*

Frater N. Bernenſis, vir pius, deuotus, nec ineruditus, collegit gratiſſimam Antiphonã de beata Virgine, quæ incipit, Regina cæli, quàm Pulchra es, &c. ex diuerſis partibus Antiphonarum, reſponſoriorum, hymnorum, &c. retinentibus tamen proprium ſenſum cum propriis melodiis, quæ finit, Tuum precare filium pro tuo cœtu pauperum. Quòd plura compoſuerit non ſum conſequutus. Claruit anno 1314.

Frater Bertholdus de Maisberch, vir ingenio promtus, memoria felix, eloquio non obſcurus, in humanis literis abundè verſatus, in humana Philoſophia & diuina egregiè doctus, ſcripſit volumen magnam in Philoſophiam Platonis Commentaria ſuper librum elementorum Procli. Librum de Polo Iridis, exponens tres libros Meteororum Ariſt. Summam Theologiæ. Multa etiam in Aſtronomiam. Claruit circa annum 1355.

Frater Boëtius ex prouincia Daciæ, Theologus præclarus, Philoſophus profundus & conſummatus, & in aliis diſciplinis non ignobilis, regularis autem vitæ merito venerandus, ſcripſit ſuper librum de ſenſu & ſenſato Ariſt. Super librum de morte & vita eiuſdem. Super librum de ſomno & vigilia, eiuſdem. Librum etiam cui titulum dedit, De æternitate mundi. Claruit anno Domini *



Frater Bonioanes de Meſthana, vir literaturæ ſufficientis in humanis, & aſſidua lectione ſcripturæ ſacræ & patrum exercitatus, ſcripſit librũ quadripertitum per fabulas figurarum moralium. Quòd plura cõpoſuerit, me fugit. Claruit anno *

Frater Bombologninus de Gabiano Bononienſis, vir etſi in aliis doctus, in ſcholaſtica tamen doctrina egregiè inſtructus, ſcripſit commentaria ſuper 4. libros ſentent. Claruit circa annum 1320. P. P. *mon. ord.*

Frater Bonifacius Cremonenſis, magiſter in Theolog. in qua, vti etiam in Philoſophica doctrina, fuit nobiliter doctus, & in lectione ſanctarum ſcripturarum ſedulus, & Dei præco non vulgaris, ſcripſit, ſermones de tempore & de ſanctis. Plura illius ad meam non peruenere notitiam. Claruit autem anno * P. P. *mon. ord.*

Frater Bourromeus Baſacomatrius, vir ſuo tempore inter Philoſophos claros computatus, & tam in humanis literis, quàm in diuinis non contemnendus, ſcripſit librum de Philoſophia & de Philoſophis. Claruit anno 1314. Cui ſocium libet adiungere fratem Bouer Bernẽſem, qui eodem tempore clauit, in diuinis literis doctus, ſed in Philoſophicis multò magis celebris, qui in Logicam multa ſcripſiſſe fertur. *Ald. Ven.*

Frater Brochardus (aliis eſt Buchardus vel Bur-

gardus) natione Teutonicus, patria Argentinẽſis, vir religione conſpicuus, in Theologia egregiè doctus, in pontificio autem iure conſummatus, aliarum quoque diſciplinarũ cognitione ſplendidus, cõpoſuit librum vnũ de deſcriptione Terræ ſanctæ. Claruit circa annum 1260. 4. p. *mon. ord.*

Frater Bornaſius, natione Siculus, vir ob religionis & doctrinæ præſtantiam venerandus, confecit librum vnum de vita beati Dominici patris noſtri, ex illis omnibus quæ teſtes adiurati ſuper illius ſanctitate, cùm fuit diuorum aſcribẽdus conſortio, de illo teſtati ſunt, in quo multa continentur & notabiliora, quàm in aliis chronicis, quibus communiter de vita patris noſtri Dominici tractatur. Claruit anno *

Beata Catharina Senenſis, quæ fuit ſoror tertij habitus de pœnitentia beati Dominici patris noſtri, virgo fuit ſanctiſſima ab ſpiritu ſancto edocta, quæ non immeritò in catalogum iſtum vocatur, quoniam etiam ad excellentes Philoſophos & Theologos comparata in ſuis ſcriptis, eiſdem minimè apparebit inferior. Illa literis ſuis ad Gregorium 11. directis, & peregrinatione ad illum ſuſcepta in huius rei gratiam, effecit cum illo vt ex Auinione (vbi iam per 70. annos aut circiter, fuerat Pontificalis curia) Romam rediret. Plurimas literas eaſque graues pietate & doctrina refertas Italico idiomate ſcripſit variis temporibus ad ſummos Pontifices, Cardinales, Reges & alios Principes & cuiuſuis ſtatus perſonas, de argumentis variis, quæ vno magno volumine in folio habentur impreſſæ Venetiis, per Aldum Manutium, anno Domini 1506. Extat & liber qui inſcribitur, Dialogus Seraphicæ ac diuæ Catharinæ Senenſis, cum nonnullis orationibus deuotis, &c & diſtribuitur liber in 6. tractatus: eſt liber in 8. fuitque impreſſus Brixiæ, anno Domini 1496. per Bernardinum de Miſſinis. Cumque illa erat in exſtaſi, doctrinam illo libello contentam dictauit auditoribus, vt refertur in eodem libro. Scripſit etiam tractatus aliquos de vita ſpirituali. Obiit hæc virgo anno Domini 1380. & fuit inter diuas relata anno 1461.



Frater Camilius Campegius Papienſis, vir ſpectabilis famæ, prudentiæ & litteraturę non vulgaris, ob quæ in vniuerſo Ferrarienſi dominio hæreticæ prauitatis fuit factus inquiſitor, compoſuit adnotationes quaſdam ad tractatum Zanchini Vgolini Ariminenſis, de hæreticis, &c. doctas, elaboratas, ac lectu dignas, quæ impreſſæ fuerunt Romæ, cum prædicto opere Zanchini. Plura eius non vidi. Cajetanus Vide infrà in verbo, Thomas de Vio. Cano, vide infrà in litera M. in verbo Melchor.

Frater Chryſoſtomus Conapitius, vir eſt ſanẽ cum clariſſimis ætatis ſuæ conferendus iure optimo, Nam ad explicãdum etiam abditiſſimas quęſtiones fuit feliciſſimus ingenio præditus, Philoſophus præſtantiſſimo, Theologus inſignis, qui & noſtri Bononienſis ſtudij fuit multo tempore regens. Scripſit autem ſuper totã Philoſophiã Ariſt. naturalẽ & moralẽ, & textum illius explicando & in compendium redigendo, & ad hæc ſuper textum quæſtiones doctiſſimas mouendo & reſoluendo. Idem præſtitit ſuper totam Metaphyſicam eiuſdem Ariſt. Scripſit etiã & de Chriſtiana Philoſophia plures tractatus. Opera illius fuerunt

alias alibi per partes impreſſa, ſed omnia ſimul duobus voluminibus magnis in folio Lugduni. Claruit anno 1530.

Frater Cherubinus de Florentia, vir eruditus, & promouendæ ſalutis ſpiritualis multorum cupidus, ſcripſit lingua vulgari confeſſionale quoddã, quo formam ritè confitendi & interrogandi tradit. Illudq́ue dicauit Senatui Neapolitano. Fuit impreſſum Neapoli.

Frater Clarus, vir iuxta ſuam nomenclaturam probitate vitę & doctrina extitit clarus & inſignis, qui & Romanæ fuit moderator prouinciæ, & ſummi Pontificis pœnitentiarius. Cuius etiã contemporaneus fuit frater Moneta (aliis Simoneta) qui in Gallia Ciſalpina erat liberalium artium profeſſor publicus & celebratiſſimus, antequàm religionis habitum ſuſciperet. Hos ergo vti contemporaneos hîc collocare lubet, quoniam fuerunt ambo viri clariſſimi & doctrina illuſtres, ſed quibus illi ſcriptis in particulari poſteritatem nunc iuuent, necdum deprehendi. Claruere anno 1225.

Frater Claudius de Rota ex conuentu noſtro Lugdunenſi, ſacræ Theolog. profeſſor eximius, & concionator nõ obſcurus, compoſuit librũ vnum, cui titulum dedit. Opus aureum: & Legendas inſignes ſanctorum ſanctarũque cum hiſtoria Lombardica, &c. fuit liber impreſſus Lugduni anno 1519.

Frater Clemens Araneus Raguzinus, ex prouincia Dalmatiæ, Theologus non ignobilis, & in concionibus ad populum eloquens, gratioſus, & doctus, ſcripſit expoſitionem in Epiſt. ad Romanos, inſertis nonnunquam multis quæſtionibus vtiliſ-



ſimis, & clarũ ſolutionibus, quibus Lutheri præſertim dogmata maximè confutantur. Fuit impreſſus liber. Venetiis anno 1547. Scripſit & volumen magnum ſermonũ, quod prænotatur, Quodlibet declamatorium cum ſuis figuris, &c. Liber eſt in 4. fuitq́ue impreſſus Venetiis, anno Domini 1541. fertur & aliud volumen doctiorum ſcripſiſſe, & etiam ſuper quatuor libros ſentent. Sed hæc non vidi. Claruit anno 1540.

Frater Conradus natione Teuto, eiuſdẽ Teutoniæ aliquando prior prouincialis, vir cum honeſtate morum & obſeruantiæ regularis ſplendore clarus, tum etiam doctrina fulgens, qui ex omnibus qui ante eum de hoc ſcripſerãt, compilauit librum de vita, obitu, & miraculis beati Dominici patris noſtri. Quæ legenda eſt aliis copioſior. Claruit circa annum 1290. *P. P. mon. ord. & Leand. libro 4.*

Frater Conrardus Hartadenſis, natione Germanus, Magiſter in Theol. vir ingenio excellens, Philoſophus admirabilis, theologus præſtantiſſimus, & in diuinis literis magnificè doctus, ſcripſit commentaria in plures Bibliorum libros. Lecturam ſiue Poſtillam ſcholaſticã ſuper Iob. Gloſſas ſuper Ioſuẽ, ad Carolum imperatorem. Librum de numero duodemario ad eundem.

*Opuſculum de origine regnorum.*
*Aliud de regno Romanorum.*
*Aliud de vera beatitudine.*
*Aliud de viſione beatifica.*
*Aliud de conſolatione mœſtorum.*
*Aliud quod dicitur, Quadripartitum morale.*
*Summam ſtudentium, in tres libros diuiſam.*

*Serm. de tempore & de ſanctis.*
*Aliud opuſc. de viduitate.*
*Aliud de ſenectute.*
*Aliud de bono mortis*
*Aliud de Virginitate.*
*Aliud de Triuio.*
*Aliud de paupertate.*
*Aliud de muliere bona.*
*Aliud de muliere mala.*

Hic fertur concordantias noui & veteris teſtamenti ordinaſſe primus, vel auxiſſe, & in eas voces indeclinabiles induxiſſe. Claruit anno 1290. vt Sixtus Senenſis poſt ſupplem. Chron. dicit. *P. P. mon. ord. Epiſt. Geſn.*

Frater Conrardus* vir eruditionis non contemnendæ, qui & claruit anno 1295. compoſuit Summã tripartitam per Alphabetum, & frater Conrardus de Eſculo, qui Philoſophiæ ſæcularis & diuinæ non modicam fuit adeptus cognitionem: & claruit circa annum 1314. Scripſit per modum tractatus vnius ſuper librum Meteororum & Phyſic. Ariſtot.

Frater Conrardus Ruffi Eſterlongenſis, vir literarum diuinarum ſtudioſus, ſædulus, & in ſcholaſtica & peripateticorum doctrina ſatis expertus & verſatus, abbreuiauit expoſitionem D. Thomæ ſuper Euãgelia. Compoſuit & Homil. ſuper Euãgeliũ, Stabat iuxta crucem, &c. & ſuper illud, Extollens vocem quædam mulier de turba, &c. Claruit circa annum 1319.

Frater Conradus Aſtenſis, qui fuit noſtri ord. Generalis Magiſter 36. in ſerie, vir grauiſſimus, rerũ agendarum peritia multa præditus, religione præſtans, & de literis benè meritus, ſcripſit varia volumina de argumentis multis: & ſeruantur illa in ſuo conuentu. Claruit anno Domini 1464.



Frater Conradus Kollim, natione Teutonicus, patria Vlmenſis, conuentus Colonienſis olim prior, & illius ſtudij Regens, ſacræ Theol. profeſſor eximius, & hæreticæ prauitatis inquiſitor, vir tam in ſæculari, quàm diuina Philoſophia exactè doctus, & in D. Thomæ doctrina reſolutiſſimus, ſcripſit contra Lutherum, & opus illud ſic inſcribitur, Euerſio Lutherani Epithalamij, &c. liber eſt in 4. & fuit impreſſus, anno 1527. & dicatus D. Arnolido de Tongaris in ædibus D. Mariæ, &c. Scripſit etiam commẽtaria erudıtiſſima ſuper primam, 2. S. Thomæ. Super 2. 2. etiam D. Thomæ. Scripſiſſe etiam ab aliquibus dicitur, ſed non vidi. Scripſit etiam librum vnum de placitis ſiue de quodlibeticis quæſtionibus. Obiit anno Domini 1536.

Frater Conſtantinus, qui fuit Vrbeuetanus Epiſcopus, vir religionis ac doctrinæ merito conſpicuus, compilauit legendam beati Dominici patris noſtri, quam direxit Reuerendiſſimo generali Magiſtro ordinis, patri, fratri Ioanni Teutonico. Dictauit etiam officium beati Dominici patris noſtri, quo ordo nunc vtitur. Claruit anno 1248. *P. P. mon. ord.*

Fratrem Conſtantinũ Fabrienſem, natione Italum, virũ non ineruditũ, lego apud eos citatũ qui noſtri ord. Chronica conſcripſerę, quòd vitam compoſuerit beati Conradini, & aliorum. Sed cùm non ſim illius adhuc ampliorem notitiam nactus, alios nolo defraudare. Obiitque

ille circa annum 1470. Cuius etiam lib. primo huius noſtri Chronici in ſæculi tertij decade 7. mentionem feci, in decade Beatorum.

Frater Damianus Craſſus à Ripolis, Magiſter in Theolog. qui fuit prouinciæ Lombardiæ Prouincialis, vir conſilio prouidus, rerum agendarum peritia & doctrina clarus, & in diuinis literis benè verſatus, ſcripſit volumē inſigne ſuper Iob. Compoſuit etiam libellum, in quo regens exiſtens collegij S. Thomæ, diſputauit & aſſeruit in ſtudio Papienſi has propoſitiones, Sanctus Ioannes fuit conſanguineus Chriſti, conſanguineus Dei. Et multas alias, quarum oppoſitum frater Ioannes de Caſſiuis ord. Minorum tuebatur. Libellum impreſſum anno 1506. vidi. Multa alia ſcripſit. Obiit anno Domini 1515.

Frater Damianus à Ligno, natione Brabātinus, ex conuentu noſtro Antuerpienſi, magiſter in Theolog. vir in ſcholaſtica doctrina ſuſpicienter inſtructus, & in ſacris literis benè verſatus, & concionator non infructuoſus, ſuperioribus annis ex lingua Latina in vulgarem Germanam vertit, ad piorum fidelium cōſolationem & in fide Catholica corroborationem, librum quendam de Miſſa & de cærimoniis eius. Volumen magnum ſermonum de tempore, Iacobi de Vitriaco, anno 1575. opera illius è tenebris vindicatum, fuit in lucem emiſſum typis Petri Belleri. Aliud volumen ſermonum de ſanctis eiuſdem authoris habebat præ manibus, vt etiam repurgaret & in reipubl. Chriſtianæ commodum in lucem daret. Viuebat adhuc anno 1578.

Frater Didacus Veza, natione Hiſpanus, vir ſanè doctiſſimus, & inter clariſſimos ſui temporis de iure habendus. Nam & in Philoſophicis fuit planè inſtructus, in diuinis literis verſatus, & in ſcholaſtica doctrina profundus, & ſolidè doctus. Vnde & profeſſorem Theologiæ Salmanticæ ante tempora illius viri clariſſimi, fratris Franciſci de Victoria. Et ob hæc & alia quibus falſit diuina munera, Archiepiſcopus Hiſpalenſis factus eſt, & ſupremus hæreticorum cenſor in Hiſpania. Fuit quoque principis Hiſpaniæ præceptor, & tunc ſcripſit in defenſionē S. Thomæ ab impugnationibus Magiſtri Nicolai & magiſtri Matthiæ. Librum quendam nō ineruditum ſuper additiones Pauli Burgenſis, quo vniuerſas ſententias D. Thomæ quas prædicti magiſtri, ex illius expoſitionibus in varios ſcripturæ libros collegerant, in vnum cōplectitur, & à rabidis impugnatorib9 tutatur. Hūc librum dicauit Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Toletano & Cardinali Petro Mendozæ. Fuit hic liber impreſſus Hiſpali, anno Domini 1491. Scripſit etiam Monoteſſeron Euangelicum, id eſt, vnum ex quatuor conflauit, & illud egregiis illuſtrauit commentariis, & iſtud ſeruari dicitur in collegio ſollenni noſtri ord. quod idem pater ac Dominus Reuerdus Hiſpali conſtruxit. Super Biblia etiam, aut illorum plures libros ſcripſiſſe dicitur. Sermones etiam multos ſcripſit. Expoſitionē quoque ſuper roationem Dominicam. Super 4. etiam libros ſentent. ſcripſit, vel collegit 4 volumina non modica ad modum illum quo Ioannes Capreolus D. Thomæ doctrinam ab inuidis & rabidis impugnatoribus pro virili defendendo. Fuerunt hæc volumina impreſſa an. * Ab Hiſpa-

léſi ſede fuit demum hic bonus præſul. ad Archiepiſcopatum Toletanum euectus, ſed antequàm Toletanam ſedem intraret, fuit è viuis raptus, vt laborum quos fuerat paſſus in Dei Eccleſia, remunerationem acciperet. Claruit anno Domini 1515.

Frater Didacus Ximenez Hiſpanus, vir dubiò procul multa veneratione dignus, multo labore & induſtria haud vulgari cōpoſuit Calendarium perpetuum noſtri ord. quo quiuis noſtrum docetur, de quo ſit officium diuinum ſingulis diebus celebrandum. Libellus fuit Antuerpiæ per Plantinum, & poſteà Romæ excuſus. Plura eius non vidi. Claruit anno 1560.

Frater Didacus Ximenez Arias, etiam Hiſpanus, vir venerandus tum doctrinæ merito, tum etiam diuini verbi gratia, poſt alios qui in hoc argumento fuerunt verſati, compilauit ſeu auxit Lexicon Eccleſiaſticum. Compoſuit etiam ſermonem de S. Maria Magdalena in libelli vnius forma ſermone Hiſpanico, eumque dicauit Reginæ Caſtilliæ, &c. D. Annæ Auſtriacæ, & fuit impreſſus Toleti, anno 1570. Compoſuit etiam librum, quem inſcripſit Enchiridion doctrinę Chriſtianę, in quo orationem Dominicam exponit, & nonnulla alia. Huius & primi operis meminit in Epiſt. dedic. quam præmittit ſermoni præfato de beata Maria Magd. & dicit etiam quòd & ſereniſſimis Portugalliæ Regibus & Catholicis Regi Philippo, &c. nonnulla dicauit.

Frater Didacus (aliis Alphonſus) Horozquius Hiſpanus, qui aliquando in religioſò & celebri conuentu Segobiēſi & in aliis eiuſdem prouinciæ



Hiſpaniæ fuit prior, & eiuſdem prouinciæ aliquando Vicarius, fuit vir & grauitate morum inſignis & doctrina non ignobilis, ſcripſit Hiſpanico idiomate ſermones de feſtis beatæ Virginis. Latinè autem ſermones quadrageſimales & dominicales per annum. Vixit adhuc anno 1570.

Frater Didacus de Roſario Luſitanus, vir religioſus, neque ineruditus cocionator quoque non ignobilis, qui poſtquàm in prouincia Portugalliæ aliquibus conuentibus præfuerat, per plures annos manſit in ſocietate Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Bracarenſis ex noſtro ordine aſſumpti. Cuius iuſſu ſanctorum hiſtorias diligenter compilauit, & eis conciones varias adiunxit, vtiles ad ſpiritualem vitam fouendum, & lectu dignas. Hæc autem Portugallenſi lingua duobus magnis voluminibus in fol. impreſſis Bracharæ anno 1567. continentur.

D. Dominicus ord. prædicat. dux & pater inclytus, natione Hiſpan⁹, vir ſpiritu Dei plenus, qui in libro præſertim charitatis ſolicitè ſtudens multa didicit, quæ Deus ſapientibus & prudentibus huius ſæculi abſcondere conſueuit, vir fuit ingenio præclarus, eloquio facundus, & documentis artium eruditus ſatis, mirum in modum in ſtudio profecit veritatis, & contra Albigenſium hæreſim in partibus Toloſanis feruidè prædicans, & concionibus & diſputationibus pugnans fortiter ſpiritualibus armis egregiè inſtructus, duos libellos compoſuit fidei Catholicæ quā euāgelizabat, non in humanæ ſapientiæ verbis, qui in ignem coniecti diuerſis vicibus, illi penitus ab igne

reſilierunt, hoc ſignum patrante Domino ad veritatem comprobandam fidei quam ſuus prædicabat ſeruulus. Horum poſt Vincentium Beluacenſem in ſpeculo hiſtoriali li 30. meminit D. Antoninus 3 par tit. 19. cap. 1 Magiſter autem ſacri palatij exiſtens ab Honorio 3. ſummo Pont. factus, legit Romæ & poſtillauit Epiſtolas D. Pauli. Bononiæ autem epiſtolas Canonicas & Pſalterium, in fine cuiuſcunque Pſalmi pulchram faciens collationem. Euangelium quoque Matthæi poſtillauit, & ſuper illo verbo Matth. 8. Abeunte Ieſu in nauiculam, &c. omnia ad nauem neceſſaria pulcrè morabizauit. Obiit anno 1221.

Frater Dominicus de Pantheleonibus Florentinus. Magiſter in Theol. vir vti ingenij & memoriæ felicis, & naturalibus dotibus adornatus, ſic & doctrina ſpectabilis & venerãdus, nomẽ ſuum apud poſteros euulgauit, ſcribendo Tractatum de peccato originali. Aliũ de corpore Chriſti. Alium ſuper Auerroim de ſubſtantia orbis. Claruit circa annum 1262. *Iacob. de Suz.*

Frater Dominicus de vico Piſano, vir Sacrarum litterarum ſtudioſus, in naturali & morali Philoſophia & in Theologica doctrina benè fundatus, ſcripſit in materna lingua librum de Variis argumentis. Claruit anno* Alium quoque fratrem Dominicum Piſanum in literis humanis præſertim inſignem, & in aliis non ignarum, ſcripſiſſe commentaria lego in Senecam.

Frater Dominicus Sinarra de Fabriano, vir bonæ literaturæ & in concionando facundiæ & gratiæ, poſteros iuuit, ſcribendo Sermones varios de tempore & de Sãctis perutiles. Claruit anno 1314.



Cui aſſociare lubet fratrem Dominicum de Cathalonia, virum præſertim in ſcholaſticis concertationibus expertum, qui ſcripſit librum ſeu tractatum de Cõceptione beatæ Virginis, Et citatur hic author & eius liber in recollatorio illo authoritatum de veritate beatæ Virginis Mariæ, edito à Bandello noſtri ordinis, vt creditur.

Frater Dominicus Toloſanus, vir ſacrarum litterarum ſtudioſiſſimus, & humanarum non ignarus, vtriuſque Philoſophiæ, ſcilicet diuinæ & humanæ benè peritus, ſcripſit volumen magnum ac varium ſuper teſtamentum vetus. Dictauit etiam commentaria magna ſecũdum litteralem & myſticum ſenſum. Super totam diuinam ſcripturam (vt ait frater Albertus Venetus, cap. 11. ſuæ Chronicæ.) & dicauit ea Ioanni 22. ſummo Pontifici. Claruit anno 1314.

Frater Dominicus de Stelleopardis de Aufragola, ſacræ Theologiæ profeſſor eruditus, ſcripſit per modum lecturæ ſuper libros de Anima, Ariſt. opus non contemnendum. Vidi illud manuſcriptum Neapoli in Bibliotheca noſtri admodum ſolennis conuentus S. Dominici. Et in fine illius videtur innui, quòd author vixit circa anno. 1386.

Frater Dominicus Ioannis Florentinus, vir ab ingenio ſingulari, in dicendo vbertate, in peripateticorum doctrina & ſcholaſtica commendãdus, qui & humanioribus literis, & in Poëſi fuit admodum inſignis, compoſuit ſermone puro & nitido, & eleganti carmine librum in laudem beatæ Virginis Mariæ, in 4. libros diſtinctum, & primo quidem tractat de vita & obitu eius, in 2. de eiuſdem mortalitate & glotia, in 3. & 4. de templis Romæ

& in Etruria beatæ Virgini dicatis. Hunc librum manu ſcriptum in membranis, characteribus ſatis antiquis vidi Medioliani in conuentus noſtri S. Mariæ gratiarum Bibliotheca communi.

Frater Dominicus de Flandria, vir multa laude dignus, qui ingenio valuit, & in Ariſtot. doctrina & Metaphyſicalibus conceptibus non fuit minùs verſatus, quàm in ſcholaſtica, quam per plures annos Regens noſtri ſtudij Bononienſis exiſtens, prælegit: in hac autem fuit verſatiſſimus. Sui ingenij & eruditionis multæ quam potuit, apertum ſpecimen monſtrat in his quæ poſteritati reliquit. Scripſit enim 49. quæſt. in lib. 1. poſter. Ariſt. In 2. verò librum eiuſdem, quæſt. 20. In opus quod iuſcribitur, fallaciarum D. Thomæ 23. quæſt. Liber hæc continens prædicta, fuit impreſſus Venetiis, anno 1496. Compoſuit etiam adnotationes in tres libr. de Anima, Ariſtot. Et habentur cum commentariis D. Thomæ in eoſdem libros, impreſſæ Venetiis anno 1503. Scripſit etiam quæſtiones egregias & doctas in lib. Metaphyſ. Ariſtot. Clauit anno Domini 1470.

Frater Dominicus Bugella, vir religione præſtans, litteratura ornatus, quoſuis vineæ Dominicæ cultores iuuandi cupidus, ſummam vtramque D. Antonini Archiep. Florent. illuſtrauit, quíque tabulas ſeu repertoria illis præmittẽdo, in vna per ordinem Alphabeti præcipuas ac magis notabiles ſententias, in tota ſumma morali contentas complectitur, & aliam ſimilem cõpoſuit in ſummam hiſtorialem. Alia comprehenduntur materiæ omnes quæ concernunt ipſam Deiparam Virginem, ſecundum quæ in variis locis multa de illa dixit.



Alia tabula complectitur omnes authoritates ſcripturæ ſacræ, quas D. Antoninns variis in locis expoſuit. Alia tabula comprehendit quæ ab eodem D. Antonino variis in locis habentur dicta & expoſita, concernentia epiſtolas & Euangelia totius anni de tempore, ad prædicandum opportuna: & ſimilem aliam pro feſtis ſanctorum. Ad ſimilitudinem harum tabularum etiam aliqui indices, aliquáue repertoria ſunt appoſita ſummæ Theologicæ S. Thomæ, impreſſæ apud Plantinum Antuerpiæ anno 1569. Hæ tabulæ habentur in ſumma D. Antonini, impreſſa Venetiis per Lazarum de Sordis, in 4. anno Domini 1503. Plura dicti authoris non vidi. Claruit anno Domini 1500.

Huic verò prænominato lubet tanquam ſocium iungere fratrem Dominicum de Mortario, virum eruditionis optimæ, induſtriũ & ſedulum, qui etiam copioſum indicem ad inſtar iuſti libelli ſuper 4. volumina Capreoli compoſuit. Plura eius ad meam notitiam nõ peruenerunt. Ex induſtria autẽ miſſos facio authores innumeros in hac noſtra Bibliotheca, qui & indices varios ſcripſere in authores aliquos, Epigrammata in earum opera, & multorum non infimarum claſſium authorum impreſſionibus profuerunt, & eorum opera multo ſtudio correcta & illuſtrata, in cõmunem omnium vtilitarem in lucem ediderunt. Nam hæc omnia cùm minutiora putem, talium turbam hac noſtra Bibliotheca non curaui complecti, ſed eos tantùm qui quidpiam præſtitere magis notabile, & de nouo aliquid ediderunt.

Frater Dominicus de Soto, natione Hiſpanus, patria Segobienſis, vir in humanioribus literis ſufficienter inſtructus, Philoſophus eximius, & in ſcholaſtica Theologia exactè doctus & reſolutus, ſacrarum quoque litterarum lectione aſſidua valdè ſtudioſus, & iuris canonici ac ciuilis non vulgarem notitiam adeptus, qui felicis memoriæ Carolo 5. Imperatori fuit à ſacris confeſſionibus, & in vniuerſitate inſigni Salmantina Theologiæ inſignis ac primarius Profeſſor, qui & Concilio Tridetino interfuit, ad illud miſſus à Carolo 5. Imperatore, & ibi locum habuit Reuerendiſſimi patris generalis Magiſtri noſtri ord. quia abſens erat, Epiſcopatum etiam Segobienſem illi à Carolo 5. oblatum fertur recuſaſſe. Scripſit ſuper Logicam nouam & veterem Ariſtot. duo volumina. Super libros Phyſicorum, textũ Ariſtot. exponendo, & quæſtiones doctiſſimas mouendo & reſoluendo. Librum de natura & gratia in tres libros partitum. Apologiam contra Ambroſium Catharinum. Super librum 4. ſentent. doctiſſima commentaria. Licet (vt verum fatear.) non poſſum non improbare in illo, quòd cùm nunquam conſiliarius fuerit Dei, ita liberè vel temerariè potiùs audeat tempus præſcribere, quo animæ in purgatorio eſſe poſſunt, & debent. Et nonnulla habet alia quæ iure optimo poſſent & deberent limari vel à libro tolli. Et relectionem dè tegendo & detegendo ſecreto. Tractatum vnum cui titulũ dedit, Deliberatio in cauſa pauperum. Tractatum de iuramento & periurio. Commentaria ampla in epiſtolam ad Romanos, in quibus plures materias earum, quas hodie controuertunt hæretici, diſputat contra illos, & exactè determinat. Librum de iure & iuſtitia in nouem aut decem libros diſtributum, in quibus complures materias earũ, quas D. Thomas tractat in ſua 2. 2. exactiſſimè diſcutit & reſoluit. Fertur quoque commẽtatus fuiſſe in Euangelium Matthæi & libros de Anima Ariſt. & multa alia ſcripſiſſe, quæ non vidi. Claruit vſque ad 1560. annum, quo obiit die 15. Octob.



Frater Dominicus Butthius Catharenſis, Theologus non vulgaris, & in diuinis literis exercitatus, ſcripſit ſuper 7. Pſalmos pœnitentiales, addendo ad ſingulos precatiunculas pias & deuotas. opus vocauit Etymon elegantiſſimum in 7. Pſalmos pœnitentiales. Incipit opus Manna cæleſte. Plura eius ad meam notitiam non venere. Claruit anno 1530.

Frater Dominicus de Mendoza Hiſpanus, vir virtutis & doctrinæ merito ſpectabilis, ſcripſit in Theologia (vt author eſt in ſuo Chronico ord. noſtri, quod Manuale ei placuit vocare, quidem noſtri ord. Chroniſta Bæticus anonymus.) Cui aſſociare non piget fratrem Dominicum de Celeia etiam Hiſpanum, virum prædicto meritis non inferiorem, qui ſcripſit ſuper Pſal. 50. Miſerere mei Deus. Claruit anno 1566.

Frater Dominicus de Caſtenedulo, natione Italus, Brixienſis, vir eruditus, Philoſophus non obſcurus, & Theologus non vulgaris, cõcionator autem famoſus & excellẽs, qui etiam fuit aliquando congregationis Lombardiæ Vicarius, ſcripſit ſermones prædicabiles. Cui etiam ſocius adiungatur frater Dominicus Cattalca de Vicho ex prouincia, ſeu congregatione Labruſciæ, vir pius, do-

ctus & ſpectatæ famę, qui ſermones varios Italico ſermone compoſuit, & edidit, & librum inſcripſit & prænotauit, Speculum crucis. Primus horum claruit anno 1550. ſecundus autem, anno 1566.

Frater Dominicus Balthanaſius, natione Bæticus magiſter in Theologia, vir cui multæ animi dotes quas habebat, attulliſſent ornamentum magnum, niſi (prout hac vita nihil eſt omni ex parte beatum) alia, ob quæ fuit humiliatus, illas nõnihil obſcuraſſent. Fuit enim ille plurium conuentuum noſtri ord. in prouincia Bætica primus fundator. Poſteris autem ſuæ eruditionis ſpecimen dedit, ſcribendo, librum vnum, quo tum Euangeliorum, tum etiam aliorum librorum ſcripturæ ſacrę plurima loca quæ videbantur inter ſe minùs conſona, conciliauit, &c. Legendas etiam ſanctorum Hiſpanico ſermone copioſè cõtexuit. Compilauit etiam hiſtoriam de ſanctis patribus teſtamenti veteris, in quo tamen opere aliquid admixtum eſſe, ob quod illius lectionem eſſe alicubi prohibitam audio. Alia multa eum ſcripſiſſe fertur, quæ non vidi. Vixit adhuc anno 1560.

Frater Dominicus Sergent, Magiſter in Theologia, qui anteà fuit ſtudij noſtri Pariſienſis Regens eximius, & hoc anno Domini 1584. quo hęc ſcribo, eſt eiuſdem connuentus prior meritiſſimus, qui & fuit aliquando à concionibus illuſtriſſimo Domiuo Cardinali de Armeniaco, & Sereniſſimæ D. Eliſabetæ de Auſtria reginæ Franciæ, relictæ Caroli 9. Compoſuit idiomate Gallico librum vnum in duos partitum, in quorum primo oſtendit contra hæreticos, non eſſe iterãdum baptiſma, & de illius veritate tractat, in 2. autem de



ceremoniis baptiſmi agit, & de earum vtilitate. lib. fuit impreſſus Auinioni, anno Domini 1566.

Frater Dominicus Topiarius, natione Brabantinus, ex conuentu noſtro Antuerpienſi, vir eruditꝰ, & ſacrarũ literarũ ſtudioſus, & cõcionator non triuialis, cõpilauit concionum aliquot volumina per totum annũ tam de tẽpore, quàm de ſanctis, quæ inter alia huius noſtræ ætatis in Germania inferiori & in Galliis maximi fiunt, & præ aliis vtiliora iudicantur, & fuerunt ſæpius prælo data. Libellum etiam edidit perutilem ad informandum iuuentutem, de rudimẽtis, & myſteriis Catholicę fidei. Nonnulla alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi. Viuebat adhuc anno Domini 1576.

*Noueris autem, lector candide, illum ante ord. ingreſſum, Ægidiũ fuiſſe dictum, ad ordinis verò habitũ ſuſceptum,* Dominicum *nuncuparũ. Vnde aliquando ob rationes aliquot, quæ eum mouerũt, prædictæ cõciones ſub nomine fratris Ægidij* Topiarij *fuerunt excuſæ, cùm tamen author vnus & idem ſit, veluti* Binomius.

Frater Durandus de ſancto Portiano, vir felici admodũ ingenio præditus ad explicandum ſuos conceptus, & perſpicaci ad penetrandum abditiſſima quæque, in ſæculari Philoſophia plenè eruditus, in ſcholaſtica doctrina magnifice verſatus, & diuinarũ litterarũ nõ ignarus, primò fuit doctrinæ D. Thomæ defenſor ſedulus, & propugnator ſtrenuus. Poſtmodũ verò illius fuit factus impugnator acerrimus. Scripſiſſe autẽ fertur bina cõmẽtaria in libros ſententiarũ. Priora quidẽ D. Thomę doctrinę conſona, & in illius defenſionẽ. Poſteriora verò cũ illo ex diametro pugnantia. Scripſit etiam librum de origine Iuriſdictionum. Tractatum 4. de

viſione diuinæ eſſentiæ ante iudicij diem, contra Ioannem 22. Tractatum I. de Legibus. Quæſtionum diuerſarum librum vnum. Librum vnum de inſtructione cleri. Librum vnum de Concilij celebratione. Quodlibeta aliquot. Sermones diuerſos. Fuit ille promotus Pariſiis ad gradum licēciarum, anno 1312. & ſequenti anno factus Magiſter ſacri Palatij, & poſteà factus epiſcopus Meldenſis, & deinde Amitienſis Eccleſiæ præſul. P. P. *mon. ord.*

Frater Durandus Iunior, vir etiam doctrina non ignobilis, ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum. Quodlibeta aliquot. Plura eius ad meam cognitionē non venere. Claruit anno 1330. vt aliquibus placet. Aliis verò, anno 1380. P. P. *mon. ord.*

Frater Durandellus, conſobrinus præfati Durandi de ſancto Portiano, vir ingenio præſtans, Philoſophus non ignobilis, & Theologus non vulgaris, ſcripſit librum vnum aduerſus præfatum Durandum, quantum ad ea in quibus D. Thomæ doctrinam impugnat. Sic incipit, Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis, arguam te, &c. Hunc librum vidi Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici, in Bibliotheca communi. Titulus eius eſt, Incipiunt ſolutiones, reſponſiones, ac reprobationes rationum S. Thomæ fratris Nicolai Medenſis, &c. Vnde patet, quòd Durandellus cognomentum eſt, non illius nomen. Fecit & alium librum qui inſcribitur, Correctorium corruptorij D. Thomæ. An idem ſit cum illo, quod ab aliquibus Ægidio Romano aſcribitur, vel aliud, ſub eodem licet titulo,



necdum conferre, & conſequi potui. Claruit anno *

Frater Echardus, natione Teutonicus, vir ſuo tēpore clari nominis reputatus, ſed dum Philoſophiæ terminis obſeruandis nimiùm attendit, iuxta ſententiam paſſim D. Hieronymo aſcriptam, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hęreſis, etiam propoſitiones aliquot protulit, quę fuerunt à ſummo Pontifice damnatæ. Vbi autem Catholicè & candidè ſcribit, ſatis digna lectu monimenta reliquit. Scripſit autem.

*Commentaria ſuper Geneſim.*
*Super Exodum.*
*Super Cantica Canticorum.*
*Sermonum de tempore lib.* I.
*Sermonum de Sanctis lib.* I.
*Super orat. Dominicam.*
*Super librum Sapientiæ.*
*Super Euangelium Ioannis.*
*Super* 4. *libros ſententiarum.*
*Multa alia ſcripſiſſe dicitur.*

Claruit ille anno 1310. P. P. *mon. ord. & Tridem.*

Frater Ægidi[9] de Laſcinis ſacræ Theologiæ Baccalaureus, vir grauis & doctus, ſcripſit librum vnum de immediata Dei viſione. Libros duos de vnitate formarum. Claruit anno 1270.

Frater Emanuel Mediolanenſis, vir in ſtudiis diligens, ingenio valens, & doctrina non ignobilis, ſcripſit ſermones multos. Claruit circa annum 1261. *Ald Ven.*

Frater Euſtachius Bononienſis, vir grauitate morum & rerum agendarum peritia, & doctrina omnigena, eaque non vulgari præditus, qui fuit

olim ſtudij noſtri Bononiẽſis regens meritiſſimus, ſuffectus quoque in moderatorẽ prouinciæ Lombardiæ, ac demum procurator ordinis in Rom. Curia à Reuerendiſſimo Domino Caietano creatus, ſcripſit doctè & diſcretè ſuper 4. libros ſententiar.

*Tractatum de incarnat. Verbi.*

*Alium de beata Virgine.*

*Tractatum vnum de Angelis.*

*Alium de Trinitate.*

*Plures oration. doctas & elegantes.*

Claruit anno 1515. *Leand. lib. 4.*

Frater Federicus, vir iudicij optimi, & eruditionis multæ fulgore clarus, qui & Fulginenſis Eccleſiæ fuit factus Antiſtes, ſcripſit idiomate vulgari & ſermone ligato opus quod prænotauit Quadriregium, ſententiarum grauitate refertum. Claruit circa annum 1515. *Leand. lib. 4.*

Frater Federicus Venetus, magiſter in Theolog. eruditus, ſacrarum litterarum ſtudioſus, diligens, & in quæſtionibus ſcholaſticis explanandis non mediocriter felix, ſcripſit ſupra Apocalypſim Ioannis commentaria. Claruit anno *

Frater Felicianus Mingnarda à Morbinio, doctor Theologus, Reuerendiſſimi Archiepiſcopi ac principis Salisburgenſis conſiliarius, & eiuſdem in Concilio Tridentino orator, vir doctrina clarus, in concilio exiſtens compoſuit aſſertionem Catholicæ fidei aduerſus articulos vtriuſque confeſſionis fidei Annæ Burgenſis iuris Doctoris, & anteà in Academia Aurelianenſi profeſſoris, necnon aduerſus id genus alia multa. Opus eſt eruditum, & fuit Venetiis impreſſum anno 1564. De



iſto authore ita tunc Reuerendiſſimus generalis Magiſter noſtri ord. poſteà verò factus illuſtriſſimus Cardinalis, frater Vincentius Iuſtinianus in Epiſtola ad eum directa & operi præfixa, ſic habet: Cùm lucubrationes à te editas aduerſus Annam Burgenſem legiſſem, non mediocri ſtudio elaboratas, viſus ſum inſtructam à te aciem videre, vtroque cornu munitiſſimam, vt dextrum tenerent diuina oracula, ſiniſtrum verò inſignis venerandáque maiorum authoritas, ab Eccleſiæ crepũdiis ad hæc vſque tempora producta: tam acriter pugnantem te vidi, vt in vno Anna proſtratos eſſe mihi pollicear omnes ætatis noſtræ morbos. Hæc ille formaliter in eadem Epiſtola. Plura eius non vidi.

Frater Felix de Caſtro Franco, vir religioſus, in rebus agendis expertus, & Theologiæ ſacræ lector venerandus, iuſſu Reuerendiſſimi patris generalis Magiſtri ordinis compilauit ſeu ante collectum correxit & auxit librum qui dicitur, Formularium principalium actuum ad officium noſtri ord. ſpectantium. Chronicam quoque noſtri ord. auctiorem reddidit, ea quæ ſua ætate contigerant, illi addendo, vt patere poteſt ex libro noſtrarum conſtitutionũ, Romæ excuſo anno 1566. Obiit anno 1571.

Frater Ferdinandus de Sancta Maria, natione Luſitanus, ſacræ Theologiæ præſentatus, & eiuſdem lector eruditus, in Indiis Oriẽtalibus, vir tum aliis nominibus cõmendand⁹, tũ etiã quòd amore Chriſti illuc profectus cõcionãdo ac legẽdo multos tulit & fecit in dies labores, vt bonũ operariũ decet, in vinea Domini continuò laborando, ac prima fidei fundamẽta, gẽtilib⁹ ibidẽ ꝓponẽdo,

eoſque in illa ſedulò informando. Scripſiſſe fertur librum de obſidione Guoenſi, quam ante paucos annos ibidem Indorum multitudo innumera fecit, & Luſitanorum gens ſtrenuiſſimè multis hoſtium turmis cæſis & profligatis propulſauit, & ciuitatem defendit. Quòd plura ſcripſerit non ſum conſecutus.

Frater Ferdinandus de Pineda, natione Hiſpanus, qui anno Domini 1577. agebat Neapoli in conuentu noſtro ſancti Spiritus, vir grauitate morum & literatura ornatus, ex pio affectu motus ad promouendum in Chriſti fidelibus erga beatam Virginem & Roſarij eius ſocietatem deuotionem, ſcripſit in Belgica regione ſermone Hiſpanico, librum de confraternitate Roſarij, quem illuſtriſſimo Duci Albano dicauit. Eum tunc recens iam impreſſum nondum tamẽ euulgatum in manus omnium, Louanium profectus, anno 1571. ad decorandum ſua præſentia mihi gratiſſima meam aulam doctoralem, quam tunc celebrabam, mihi legendum exhibuit: in cuius lectione aliqua obſeruaui quæ mihi minimè placuere, quorũ emendam aut declarationem deſiderauit maiorem, ne forent alicuius materia ſcandali: & quæ mihi maioris ponderis viſa fuere, ipſe correxi in eo exemplari quod mihi exhibuit, & alia corrigenda per eum, illi inſinuaui. Sed his non obſtantibus correctioues huiuſmodi non fuerunt recuſſæ, ſaltem omnes, & liber fuit ab authore cum meo nomine præfixo in Epiſtola euulgatus quod mihi ſemper ſummopere diſplicuit, & hac de re cõqueſtus ſum aliquando apud ſuperiores. Meditabatur autem author eiuſdem libri recuſionem, nec dubito quin



qui in illa limabit, quod fuit ab eo anteà prætermiſſum. Habebat autem idem author præ manibus cùm Neapoli eram, anno 1577. opus aliud quod de modo benè viuendi decreuerat inſcribere, & in fidelium commodum typis mandare.

Frater Franciſcus Galuanus Mediolanenſis, vir in litteris humanis eruditus, Theologus & concionator non obſcurus, ſcripſit ſermones multos de tempore & de Sanctis. Chronicam quoque noſtri ordinis. Claruit anno 1262. *Ald. Ven.*

Frater Franciſcus Grauanus de Ianua, vir in humanis literis peritus, & in diuinis multùm exercitatus & concionator non vulgaris, ſcripſit poſtillam agregiam ſuper Lucã. Collationes ſuper eandẽ. Sermones Dominicales. Serm. de Sanctis & Quadregiſimales. Opuſcula nõnulla alia ſcripſiſſe dicitur. Claruit circa annum 1312.

Frater Franciſcus de Reta, Magiſter in Theol. vir eruditiſſimus, qui in vniuerſitate Vienenſi legendo in ſcholis prouerbia Salomonis cõtinuauit per duodecim annos & ampliùs, iſtud thema ſemper reiterando, Primi & puriſſimi fructus eius applicando ſemper ad beatam Virginem. Præter talem lecturam in prouerbia, ſcripſit volumen magnum de vitiis & virtutibus, fuitque impreſſum Norimbergæ, anno Domini 1478. Super vno paſſu prouerb. cap. 6. digreſſionem faciens ob reuerentiam B. Virginis cuius fuit maximus cultor, Antiphonã Salue regina, cœpit exponere & tribus voluminibus totum perfecit opus. Claruit circa annum 1416. P. P. *mon. ord. & Leand. lib.* 4.

Frater Franciſcus Neritomenſis (ciuitas eſt in prouincia Hidruntina quę & coniuncta Appuliæ)

vir perſpicaci ingenio & felici memoria donatus, Philoſophus inſignis, & Theologus celebris, qui Paduæ profeſſorem egit publicum Metaphyſices, ſcripſit quæſtiones in Metaphyſicam doctiſſimas, multo ingenio elaboratas, & eruditione refertiſſimas, quæ ibi etiam his temporibus magno in pretio dicũtur haberi. Fertur ſcripſiſſe alia, quæ non vidi. Claruit anno 1490.

Frater Franciſcus Columna Venetus, vir ingenij, doctrinæ, & religionis præſtantia coornatus, ſcripſit materno ſermone Volumen eruditum litterarium, varium & multipliciter eius ingenium demonſtrans. Claruit anno* *Leand. lib.* 4.

Frater Frãciſcus Romæus à Caſtillione, qui fuit generalis Magiſter noſtri ordinis, vir ingenio acuto & libero prædit⁹, in ſacris literis egregiè doctus & in ſcholaſtica doctrina cõſummatus, ſcripſit librum de libertate pauperum & neceſſitate, aduerſus Pſeudophiloſophos & Pſeudochriſtianos, Breuem quoque deductionẽ ad animæ immortalitatem oſtendendam, Chriſtianè & peripateticè deductã. Fuit liber impreſſus Lugduni apud Gryphium, anno 1558. Scripſit etiã Epiſtolas exhortatorias ad benè viuendum. Obiit Romæ anno 1552.

Frater Franciſcus Ferrarienſis, generalis Magiſter ordinis 40. in ſerie, vir fuit non minùs felici, quàm feliciſſimo ingenio præditus & optimo ad explicandum aliis etiam difficillima, eloquio gratus doctrina eximius, & in D. Thoma profundè & ſolidè doctus, qui & aliquãdo fuit ſtudij noſtri Bononienſis regẽs, digniſſimus, ſcripſit commentaria eruditiſſima ſuper ſummam S. Thomæ contra gentes. Super libros Poſter. Ariſtot. Quæſtiones eruditas ſuper libros Phyſic. & de Anima, Ariſtot. & fuerunt excuſæ Romæ, anno 1575. Scripſit etiam vitam beatæ Oſanæ, ſororis Mantuanę, ex noſtro ord. quæ diſtribuitur in ſex lib. & fuit impreſſa Mediolani, anno 1500 Orationes etiam multas & elegantes. Alia ſcripſiſſe dicitur. Obiit anno 1528.



Frater Frãciſcus de Victoria, natione Hiſpanus, qui in vniuerſitate celebri Salmaticẽſi fuit Theologiæ profeſſor publicus & eximius. Vir nunquam ſatis laudatus, & in cuius encomium plurima forent verba expendenda meritò, & illius meritis illa forent ſemper imparia. Fuit præſtantiſſimo ingenio præditus, Philoſophus inſignis, & in naturali & morali Philoſophia Ariſt. vndequaque doctus. In Theologia verò talis ac tantus extitit, vt illius præclariſſimum lumen in Hiſpania etiam à viris clariſſimis meruerit appellari. Adeò etiam rerum omnium fuit cognitione illuſtris, vt etiam de materiis quibuſuis quantumcunque extraneis fieret ſermo, in illis toto vitæ ſuæ tempore verſatus fuiſſe videretur. Illud etiam illi eſt maximæ laudi tribuendum, quòd omnium præclariſſimorum virorum, quos noſtra tulit ætas, fuit præceptor eximius, & aliis præcepta dedit quibus illi etiam euaderent inſignes. Scripſit autem ſuper omnes partes D. Thomæ lecturam eruditiſſimam, ex qua potiſſimùm veluti ex fonte ſcaturiente hauſere, & quotidie hauriunt qui celebres nunc habentur Theologi in ſcholis. Compoſuit etiam relationes aliquot, quæ ſunt impreſſæ Lugduni.

*De poteſtate Eccleſiæ.*
*De poteſtate ciuili,*
*De poteſtate Concilij.*
*De Indis.*
*De Matrimonio.*
*De augmento Charitatis.*
*De eo ad quod tenetur perueniens ad vſum rationis.*
*Et nonnullas alias de diuerſis materiis.*

Obiit maximum ſui cunctis relinquens deſiderium, anno Domini 1546. die 12. Auguſti. In cuius obitu omnium religionum fratres, qui erant in ciuitate Salmantina, & totius Vniuerſitatis Doctores, & Magiſtri & ſtudioſorum innumera multitudo illius interfuerunt exequiis, quem vt præceptorem chariſſimum cuncti ferè miro venerabantur affectu, & ſingularum facultatum Profeſſores primarii feretrum, quo illius erat corpus incluſum, portabant.

Frater Franciſcus Cordubenſis natione Hiſpanus, ex prouincia Bætica, vir religionis præſtantia clarus & multo feruore ſpiritus plenus, & doctrina non ignobilis. Compoſuit ſummam moralem perutilem. Sermones varios de tẽpore & de Sanctis. Plura alia valdè notabilia ad prædicandum. Clatuit anno 1520. Author huius, eſt Chroniſta Bæticus anonymus in ſuo Chronico, cuius titulus eſt, Manuale ord. prædic. Fuit impreſſum Hiſpali.

Frater Franciſcus de Bobadilla, natione Hiſpanus, magiſter in Theol vir ingenio & doctrina præſtans, & regularis diſciplinæ obſeruator magnus, qui & religionis noſtræ in prouincia Portugalliæ bina vice gubernacula tenuit, & aliquando



in conuẽtu noſtro & ſtudio Oliſibonenſi Thologiam prælegit, Fuitque Sereniſſimæ Reginæ Portugalliæ Catharinæ à ſacris Confeſſionibus, vtqui fuit ſemper totius otioſitatis infenſus hoſtis, quanta ex illa cunctis damna proueniens perpendens, ſuis priuatis ſtudiis ſibi conſulens ſcripſit, vt ipſomet mihi referente didici, Commentaria in omnes D. Pauli Apoſt. Epiſtolas In libros Sapiẽtiales adnotationes aliquas breues. In Eccleſiaſtẽ verò commentaria copioſa & exacta. Vixit adhuc anno 1581.

Frater Franciſcus Forerius, natione Luſitanus, patria Oliſibonenſis, Magiſter in Theol. vir in bonis literis fundatus, linguarum Græcæ & Hebraïcæ non ignarus, Philoſophus & Theologus præſtans, in diuinarum litterarum lectione valdè tritus, & inter præcipuos Dei præcones excellens ſemper habitus, qui & noſtræ prouinciæ Portugalliæ, fuit per quatuor annos & ampliùs moderator, & totius ord. noſtri in Romana curia procurator deſignatus in Capitulo generali Romæ celebrato, anno Domini 1571. & in Concilio Tridentino vnus fuit ex eminentibus viris reputatus à Patribus, eo quòd in eo diuino munere plurima Dei dona concurrerant ſimul: quæ in aliis non niſi diuiſa inueniebantur. Cui etiam eiuſdem Concilij Patres commiſere catalogum conficiendum librorum qui meritò interdici deberent ab Eccleſia. Scripſit commentaria erudita ſuper Eſaiam. Super 12. Prophetas Minores, & nonnullos alios Bibliorum libros eum ſcripſiſſe noui, ſed hæc nondum prælo dedit. Libros Iob, Dauidis, Salomonis & Prophetarum omnium ex Hebraïca verita-

euertit, vt vulgatæ editionis veritatẽ confirmaret, eoſdem commentariis exornans. Viuit adhuc anno Domini 1580. agens in conuentu S. Pauli, quem ſua induſtria conſtruxit, diuinis libris ſemper euoluendis atque explanandis incumbens.

Frater Franciſcus Pratenſis Florentinus, vir in ſeculari & diuina Philoſophia ſatis inſtructus, ſcripſit librum de terminis logicalibus & de enterationis Librum 1. quo plures quæſt. Theologas, Metaphyſicas, & de Anima pertractat. Tractatũ etiam de connexione accidentis cum ſubſtantia, in quo multa de hoc argumento pertractat. Hæc omnia haberi audio Florentiæ pretioſa. Viuebat anno 1577.

Frater Gabriel de Barleta, natione Apulus, Magiſter in Theolog. vir facundus, Philoſophus & Theologus eruditus, & concionator inſignis & fructuoſus, ſcripſit Serm. Quadrageſim. & de Sanctis varios. Claruit anno 1471.

Frater Gualterus, qui fuit Cardinalium aſcriptus numero, & frater Gualterus Iorſius, ambo natione Angli, viri ſuo tẽpore inter doctrina clariſſimos fue e computati, vt notum efficiunt ſcripta quæ tranſmiſerunt ad poſteros. Prior quidem ſcripſit ſuper 4. lib. ſentent. & nonnulla alia quæ non vidi: poſterior verò, ſummam Theologiæ in 4 libros diſtinctam. Librum vnum de peccato originali. Librum 1. quæſtionum plurium. Claruerunt, prior anno 13c o. Poſterior verò anno *

Frater Galuanus Flama Mediolanenſis, vir in ſæcularibus literis & in Philoſophicis nobiliter doctus, in ſacris autem & in ſcholaſticorum quæſtionibus non vulgariter verſatus, multiſque aliis



animi dotib⁹ adornatus, ſcripſit Chronicam ord. à beato patre noſtro Dominico incipiendo, & habetur illa in conuentu noſtro Gratiarum Mediolani. Scripſit etiam Chronicam Imperatorum. Aliam Chronicam ciuitatis Mediolanenſis ab illa cõdita vſque ad ſua tempora. Summã de caſibus cõſcientiæ. Claruit an 1340. P. P. *mon. ord.* & 5.

Frater Georgius Arrarus de Alexandia, & alter etiam Georgius de Caſcano dictus Mediolanenſis, ecce à longè comparent vti lucernæ incenſæ circumuicinas partes non modicùm illuminãtes, & primus præter hoc quòd fuit Philoſophiæ humanæ non ignarus, fuit etiam Theologus eruditus, & in iure pontificio & Cæſareo non ignobiliter verſatus, & ſuper totum Decretum ſcripſit opus non contemnendum. Secundus verò etiam fuit in ſæculari & Chriſtiana Philoſophia exercitatus, & poſteris nomen ſuum euulgauit, ſcribendo ſuper totam Philoſophiam Ariſtot. & ſuper 4. libros ſentent. Claruerunt circiter annum Domini 1262. P. P. *mon. ord.*

Frater Georgius Mediolanenſis, vir tum pius, tum etiam non ineruditus compoſuit vitam beati Iacobi Sextij Mediolanenſis, & eã habet Leander lib. 5. de viris illuſtr. ord. Compoſuit etiam vitas quorundam aliorum illuſtriũ virorum noſtri ord. ſcripſit etiam Logicam. Claruit circa annum 1515.

Frater Georgius Rauegnatinus Mediolanenſis, vir ingenioſus, in humanioribus literis plenè doctus, & tam in ſermone ligato, quàm ſoluto potens, Poëta & Philoſophus clarus, & Theologus non contemnendus, ſcripſit tractatũ de clariſſimis fratrib⁹ qui in prouincia Romana in noſtro ordine

claruerũt. Alium in hiſtoriæ modum cœnobij noſtri S. Mariæ gratiarum Mediolanenſis ciuitatis in quatuor partes diuiſum. Hiſtoriar quoque quadripartitam in qua interlocutores introducẽs, D. patris noſtri Dominici, & D. Petri Mart. vitas cõſcripſit. Librum ſeu tractatum de vita cœnobica. Alium qui prænotatur, interlocutorio mœſta ſuper nouis & inauditis rerum mutationibus. Apologiam pro Bartholomęo Quarterio, qui impubes religionem fuerat ingreſſus. Quęſt. An impubes ante annum 15. completum poſſit profiteri in religione noſtra. Hymnum de Aſſumptione beatę Virginis ad ſuperna. Carmẽ ad eundem Bartholomęum, qui à religione defecerat, in quo illum exhortatur, vt ad eam redeat. Claruit anno * Hęc omnia opuſcula habentur manuſcripta Mediolani in conuentu noſtro gratiarum in 2. P. *mon. ord.*

Frater Georgius Buſti de Vercellis, conuentus noſtri Bononienſis filius & ſtudij ibidem Regens eximius, vir grauis & venerandus, in Philoſophia ſufficienter inſtructus, iuris canonici non ignarus, & in D. Thomæ doctrina valdè exercitatus, dum tamen proprio ſenſui nimiùm adhæret & verba nonnulla inordinatè profert, & ſcripturis ſacris minùs conſona, ac Vicarij Chiſti in terris poteſtati non ſatis adaptata, aliquas moleſtias patitur, anno 1576. Scripſit librum in quo ſequentia habentur.

*Quæſtiones nouem de Philoſophicis.*
*Quæſtiones tres de creatis relationibus.*
*Quæſt. An detur creatio ſecundum Philoſophos.*
*Quæſt. 3. 3. in cap. Sphæræ.*
*Quæſt. de fine hominis.*



*Quæſt. 5. de prouidentia Dei.*
*Quæſt. de Prædeſtinatione & reprobatione.*
*Quæſt. de diuinis relationibus.*
*Quæſt. de potentia creandi.*
*Quæſt. de contritione.*
*Quæſt. de confeſſione.*
*Quæſt. de fide & operibus.*
*Quæſt. de fide & eius cauſa.*
*Quæſt. de lib. arbit & eius viribus.*
*Quæſt. 4. de motu locali, de merito & de peccato Angelorum.*
*Quæſt. 3. de neceßitate ſacramenti Baptiſmi.*
*Quæſt. de reali exiſtentia Chriſti in Sacramento altaris.*
*Quæſt. de neceßitate confeßionis præmittendæ ante Euchariſtiæ ſumptionem. Quæſtio, Vtrùm liceat viro vxorem adulteram in totum dimittere, & aliam ducere.*
*Quæſt. An libellus repudij olim fuerit licitus.*
*Quæſt. An pluralitas vxorum ſit contra ius naturæ, præſ rtim habere duas vxores viuas.*
*Quæſt. vtrùm connubium inter fratrem & ſororem ſit contra ius naturæ.*
*Quæſt. de differentia gratiæ à virtutibus Theologicis.*
*Quæſt. de diſcrimine inter nouam & veterẽ legem.*
*Quæſt. de neceßitate & vtilitate legis humanæ.*
*Quæſt. de Eccleſiaſticis dignitatibus, & poteſtatibus, & earum ordinibus. Liber hæc complectens fuit impreſſus Venetiis, anno 1574.*

Frater Gerardus Mindenſis ſacrę Theol. Baccalaureus, & frater Gerardus Colonienſis, viri ambo ingenio præſtantes, in Philoſophicis benè ex-

culti, in diuinis literis exercitati, & in ſcholaſtica doctrina nõ vulgariter docti, poſteris quantæ fuerunt eruditionis inſinuant in eo, quòd primus eorum ſcripſit Commentaria ſuper Metaphyſicam Ariſtot. & ſuper Eccleſiaſtem. Secundus verò cõpoſuit librum quem inſcripſit, Medullam animæ, aut fortè melius Medelam animæ. Alium ſcripſit, de recreatione animę & claruit circa annum 1314. *P. P. mon ord.*

Frater Gerardus natione Germanꝰ, lector Leodienſis eruditus, vir egregio ingenio adornatus, in diuinis literis multa lectione exercitatus, & in ſcholaſtica doctrina profundè doctus, & demum omnium bonarum artium peritia ſpectatiſſimus, ſcripſit librum, cui titulum dedit, de doctrina cordis, &c. & incipit, Præparate corda veſtra. Eſt autem pulcher tractatus & vtiliſſimus, pro religioſis præſertim, & deuotis perſonis, quo docet 7. diſpoſitiones faciendas circa cor. Librũ vnũ ſermonũ de tempore. Librum aliũ ſermonũ de Sanctis. Claruit authori ſupplẽ Chron an. 1313. Aliis verò an. 1270.

Frater Gerardꝰ de Haucinis, Magiſter in Theolog. eruditus fama ſpectabilis, religione cõſpicuus, Philoſophus nõ obſcurus, & Theologus inſignis, & ſua ætate cum magnis conferendus, ſcripſit ſuper 4. lib. ſentent. Claruit anno 1312. *Alb Ven.*

Frater Gerardus de Sileto, vir & moribus compoſitus, & literis omnis generis bene excultus, cõpoſuit ſummam de Aſtris, & eam in tres partes diſtinxit, & claruit circa annũ 1295. Et frater Gerardus de S. Laurentio Colonienſis, alius à prænominato, vir pietate docta, & doctrina pia ſatis imbutus, ſcripſit Serm. de tempore & de Sanctis nõ aſ-



ſpernandos. Claruit autem circa annum 1355. *Alb. Ven.*

Frater Gerardus de Fracheto, natione Gallus, patria Lemouicenſis, qui Pariſiis in manus Magiſtri Iordani profeſſionẽ emiſit, vir fuit vita & doctrina clariſſimus, & noſtri ord in Prouincia prouincię moderator, vir rerũ agendarũ peritia exornatus, in humana & diuina Philoſophia excultus, & regularis diſciplinæ zelator præcipuus. Hic iuſſu Hũberti generalis Magiſtri ord. noſtri ex multis quæ in ordine per varias mundi partes contigerãt, & illi relata fuere in Comitiis generalibus noſtri ordinis per patres grauiſſimas, quaſi colligẽs ſpicas quæ aliorũ manus effugerant, hoc eſt, multa quæ ab aliis ſcriptoribus ante eum prætermiſſa fuerãt, vel ignorata, collegit in vnũ librũ, qui dicitur Vitæ fratrũ ordinis Prædicat. qui diſtinguitur in 5. partes: eum tum Neapoli tũ alibi aliquotiens perlegi, & nonnulla ex eo in hoc noſtrum Chronicon excerpſi. Plura eius non vidi. Claruit anno 1260.

Frater Gerardus Vvilich, natione Germanus, patria Treuerenſis, vir ſuo tempore grauis & venerandus, & ſicut bonarum litterarũ fuit cultor perquàm ſtudioſus, ita earũ & diuinarum notitiã fuit conſeqnutus non mediocrem. Claruit circa annũ 1314. & ſcripſit Sermones de tempore & de Sãctis per totum annum. Paſſionale etiam nouum de Sanctis. Plura eius non vidi.

Frater G. Adæ Archiepiſcopus Antibariẽſis, vir fuit in humanis literis mirum in modũ excultus, Poëta & Philoſophus inſignis, & Theologꝰ clarus & eximius. Compoſuit autem.

*Officium ſanctificationis B. Virginis Mariæ.*
*Officium Vndecim millium Virginum.*
*Officium B. Thomæ de Aquino.*
*Officium D. Georgij Martyris.*

Claruit circa annum Domini 1280.

Frater Gombandus de Vligia de Aragonia, magiſter in Theolog. & frater Baſcalch⁹ Ephordienſis, etiam Magiſter, viri graues, moribus compoſiti, doctrina præſtantes & venerandi poſteritati notum nunc efficiunt ſuis ſcriptis quantæ fuerint eruditionis & pietatis, & hic quidem in gratiam Deo dicatarum virginum librum compoſuit doctrina & pietate refertũ. Et primus horum commentaria ſuper 4. libros ſentent. Claruit hic circa annum 1420. P. P. *mon. ord. & Ald. Ven.*

Frater Bernardus de Luxemburgo in ſuo catalogo hæreticorum in initio in cap. quo oſtendit hæreticos eſſe Eccleſiæ Chriſti conciſores, meminit cuiuſdam Gotfridi ordinis noſtri, & libri quem conſcripſit, & prænotauit Pantheon, ex illo refert hos vers⁹: Mittitur à cælis puero digniſſima veſtis,

*Hæc inconſutilis, mira colore fuit.*
*Hanc pater à cælis miſit, non fœmina neuit,*
*Longa, ſuitque breuis, puero creſcentéque creuit.*

Frater Gratiadeus Æſculanus, vir in bonis diſciplinis nobiliter excultus, in Ariſtot. doctrina eximius, & in Theologia ſpeculatiua & practica non vulgariter exercitatus, & demum multis nominibus venerandus, ſcripſit.

*Super Prædicab. Porphyrij.*
*Super lib. Periherm. Ariſtot.*
*Super prædicamenta Ariſtot.*
*Super libros ſex principiorum.*



Liber continens hæc commentaria fuit impreſſus anno 1491. Venetiis. Scripſit etiam quæſt. ſuper libros Phyſic. Quæſtiones etiam nõnullas Theologicas & Metaphyſicas, quas diſputauit in ſtudio Patauino Liber fuit impreſſus Venetiis, an. 1484. Scripſit etiã ſummam Logicæ, & ſuper parua Naturalia Ariſtot. *Epit. Geſne. & mon. ord.*

Frater Gregorius Britannicus, vir facundus & literaturæ non ignobilis, & concionator ſuo tempore non obſcurus, compoſuit, ſermones varios, funebres, nuptiales, & multos alios. Orationes etiam multas compilauit, partim ex officina propria, & partim ab aliis accepit, qui in illo argumento in quo verſabatur ſcripſerant. Liber eſt in 8. impreſſus Venetiis, anno 1516.

Frater Gregorius Vienẽſis, vir ſermone nitidus, ingenio clarus, Philoſophus optimus, & Theologus non triuialis, ſcripſit librum de Eclipſibus Solis & Lunæ, & claruit anno * Huic tanquam ſocium coniungere lubet fratrem Gregorium Raguſinum ex prouincia Dalmatiæ, magiſtrum in Theolog. virum & in ſæculari & in diuina Philoſophia nobiliter eruditum, qui ſcripſiſſe fertur commentaria in Epiſt Pauli docta. Et ſeruari dicuntur in conuentu noſtro Raguſino. Claruit circa annum 1535.

Frater Gregorius de Primatitiis, conuentus noſtri regij S. Dominici Senẽſis, magiſter in Theolog. vir famæ ſpectabilis, litteraturæ non vulgaris, qui & Theologiam per annos plures fuit publicè profeſſus, & Concilio Tridentino interfuit, & ſuæ eruditionis clarum ſpecimen dedit, tum in aliis, tum etiam ſcribendo commentaria, quibus

litteralem potiſſimùm ſenſum proſequitur.

| | |
|---|---|
| *In Epiſt. Pauli ad Rom.* | *In epiſt. canon. Iacobi.* |
| *In vtrăque ad Corinth.* | *In Canonicas D. Petri.* |
| *Ad Galatas.* | *In Canonicas D. Ioannis.* |
| *Ad Epheſios.* | *In Canonicam D. Iudæ.* |
| *Ad Philippenſ.* | *Cōmentaria in has omnes e-* |
| *Ad Coloſſenſ.* | *piſtolas canonicas, & D.* |
| *In vtrăque ad Theſſal.* | *Pauli, fuerunt impreſſa, pu-* |
| *In vtrăque ad Timoth.* | *to, Venetiis anno** |
| *In epiſt ad Titum.* | *Scripſit etiam tabulam ſu-* |
| *Ad Philæm.* | *per Decretum, & nonnulla* |
| *Ad Hebræos.* | *alia.* |

Viuebat adhuc anno Domini 1576. in noſtro conuentu Senenſi agens.

Frater Guido de Cenodro, vir multis meritis colendus, fuit enim bonarū litterarum benè peritus, iuris canonici non ignarus, in Philoſophia diuina & humana multū verſatus, ſcripſit ſuper libros 5. Decretaliū modo diſputatiuo, opꝰ notabile, quod vocauit Quæſtionarium. Sermones etiam per totum anuum Claruit circa annum 1320.

Frater Guido de Genetiis Bononienſis, vir ingenio præſtans, & Philoſophus præclarus, & Theologus non ignobilis, ſcripſit ſuper totā Philoſophiā moralem Ariſtot. Et Bononię in conuentus noſtri Bibliotheca communi habētur aliqua eius opera. Scripſit & nonnulla alia Claruit Alberto Veneto, anno 1314. Leander autem Bononienſis putat, quòd claruit anno 1386.

Frater Guido Ferrarienſis, eiuſdem Eccleſia aliquando factus Antiſtes, in Poëſi & in aliis literis humanis mirificè excultus, Theologus egregius, & in ſacrarum literarū lectione nobiliter doctus,



ſcripſit ſcholaſticum Poëma, in quo vtriuſque teſtamēti libros, hexametro verſu ingenioſè admodum complexus eſt Er dicitur opus tale, Margarita Biblię Claruit an. 1310 *Sextus Sen in ſua Biblioth.*

Frater Guido Ebroïcenſis, vir in bonis literis inſtructus, in Philoſophia & ſcholaſtica doctrina apprimè eruditus, & in ſacris vti diligentiſſimus, ſic etiam haud mediocriter exercitatus, ſcripſit ad intelligentiam ſcripturæ ſacræ, librum talis tituli: De clauibus ſacræ ſcripturæ. Sermones etiā egregios de tempore & de Sanctis. Librūm etiam quo themata varia ponit & motiua ad prædicandum. Hic liber ſermonum habetur manu ſcriptus Neapoli in conuētu noſtro S. Dominici, in Bibliotheca communi. Claruit anno*

Frater Guido Gallicus, Magiſter in Theolog. Pariſienſis, vir fama ſpectabilis, doctrina celebris, & in cōcionibus ad populum facūdiæ perraræ ſcripſit ſermones de tempore per totum annum.

*Sermones de Sanctis per totum annum.*

*Summam cōpendioſam in Philoſophiam naturalem.*

*Super Epiſt. & Euangel. totius anni.*

Claruit circa annum 1440. *P. P. mon. ord.*

Frater Guillelmus Lugdunenſis, qui & eiuſdem Eccleſiæ fuit factus præſul, vir grauiſſimus & doctiſſimus, & in concionibus ad populum miræ facundiæ, & gratiæ perraræ, atque omnis generis litterarum præſtanti cognitione conſpicuus, ſcripſit ſuper 4. libros ſentent,

*Summam virtutum lib. 5. diſtinctam.*

*Sermones varios ad populum.*

*Summam vitiorum lib 8. diſtributam.*

Et multa alia ſcripſiſſe dicitur. Claruit circa annum 1276. *Tritem. & Epit. Geſn.*

Frater Guillelmus de Altono, ſacræ Theologiæ profeſſor eximius, vir in diſputatiua Theologorum doctrina magnificè coruſcus, & ſacrarum litterarum valde ſtudioſus,

*Scripſit Poſtillam ſuper Matthæum.*

*Poſtillam ſuper Eccleſiaſten, cuius meminit Bandellus in tract. de conceptione beatæ Virginis.*

*Librum vnum de decem virginibus.*

Claruit circa annum 1252.

Frater Guillelmus Peralt (alij ſcribunt de Peirant) natione Gallus, dioceſis Vienenſis, vir ingenio præſtans, Philoſophus moralis inſignis, & naturalis eruditus, Theologus magnus, & in ſacris literis ac Patrum lectione verſatiſſimus, ſcripſit ſummam de vitiis & virtutibus, concionatoribus cunctis in vniuerſum vtiliſſimam, ob verrimam materiam quam illis ad concionãdum miniſtrat, quam poſt modum frater Iacobus de Voragine in Epitomen redegit.

*Sermonum de tempore lib.* 1.

*Sermon de Sanctis lib.* 1.

*Librum de proprietatibus rerum.*

*Librum de regimine Principium.*

*Super regulam. B. Benedicti.*

*Multa alia ſcripſiſſe fertur.*

Claruit anno Domini 1255.

*Huic Peraldo aliqui tribuunt librum de eruditione Religioſorum, qui ſub nomine fratris Humberti, quondam generalis Magiſtri ordinis noſtri circunfertur. Et quidem in 4. P. mon. ord. quæ Mediolani habentur in conuentu noſtro gratiarum, illi tributum legi, & Bononiæ in conuentus noſtri Bibliotheca communi ſub illius etiam titulo extat antiquis admodum characteribus manu ſcriptus. Attamen eundem alij mecum Humberto. qui fuit noſtri ord. generali Magiſter & 6. in ſerie, aſſcribunt: vt Leãd. lib.1. de vir. illuſtr. ord. In Germania etiam inferiori Bibliothecas non paucas antiquas perluſtraui & diligentiſſimè perquiſiui, & inueni huius libelli. De eruditione Religioſorum aliquod exemplaria manu ſcripta & ſatis antiqua, vt ad illa hunc libellum emendarem, dum iuſſu Reuerendiſſimi D. noſtri Generalis magiſtri, illum præſlo dare tractabam, & ſub titulo Humberti inueni, & non ſub titulo Paraldi. Ideoque ad illa exemplaria manu ſcripta libellum contuli, & correxi, & indicationibus marginalibus etiam illuſtratum, ſub titulo eiuſdẽ Humberti Louanij imprimi curaui.*



Frater Guillelmus Romanus, magiſter in Theologia Pariſiẽſis, vir in Philoſophia naturali & morali plenè doctus, & in Theologia nõ minùs, ſcripſit commentaria ſuper 4. libros ſentent. Ser mones plures de tempore & de Sanctis. Claruit anno P. P. *mon. ord.*

Frater Guillelmus de Raiotho, qui fuit aliquando prior prouincialis Franciæ, vir morum honeſtate & doctrina ſpectabilis, & iuris canonici etiã non ignarus, Summam Ioannis Teutonici, quæ confeſſorum dicitur, abb reuiauit. Scripſit etiam ſermones varios. Claruit anno Domini 1290.

Frater Guillelmus Bethus, natione Anglus, qui & in eadem Anglia fuit noſtri ord. moderator, vir fuit & grauatite morum, & religione conſpicuus, eruditione ſolida & fideli præditus, ſcripſit autem

ſuper 4. libros ſentent. commentaria erudita. Librum de vnitate formarum. Lecturas ſcholaſticas varias. Vixit anno 1498. *Epit. Geſn.*

Frater Guillelmus Meſſelech, natione Anglus, Magiſter in Theol. vir fuit quem & doctrina ſingularis, & vita probata, & magnum in diuinis literis exercitum cunctis commendabilem efficiũt. ſcripſit librum vnum quæſtionum aduerſus Henricum à Gandauo.

*Librum vnum contra corruptorium correctorij D. Thomæ.*

*Librum vnum quæſtionum de Angelis.*

*Poſtillas ſuper aliquot libros Bibliorum.*

*Librum de vnitate formarum.*

*Librum vnum de decem Virginibus.*

Claruit circa annum 1300. *P. P. mon. ord. Epit. Geſn. Leand. lib* 4.

Frater Guillelmus de Odone, natione Anglus, vir meritò cum clariſſimis conferendus, ſiue doctrina eius qua fulſit, ſiue vitæ probitas penſetur, fuit bina vice in Anglia noſtri ordi. Moderator prudentiſſimus, & poſtmodum aſſumptus ad Archiepiſcopatum Dublinienſem in Hibernia, ſcripſit autem. Super 4. libros ſentent.

*Librum 1. de vnitate formarum.*

*Librum 1. de immediata viſione diuinæ eſſentiæ.*

Nonnulla alia ſcripſiſſe dicitur. Obiit anno 1298. vt Leander inſinuat lib. 4. de viris illuſtr.

Frater Guillelmus Pariſienſis, Philippo quondam Francorum Regi à confeſſionibus ſacris, vir magni iudicij, & tam in ſacris literis, quàm in iure pontificio haud vulgariter verſatus, compoſuit Tabulam ſiue Repertoriũ breue ad inueniẽdum



facilè in decreto & decretalibus quæcunque notabilia. Sic incipit, Promtè volentibus. Plura eius non vidi. Claruit anno*

Frater Guillelmus Brabantinus, ſacræ Theol. Bacalaureus, vir ingenioſus, linguæ Latinæ & Græcæ notitia clarus, Philoſophus eximius, & Theologus non ignobilis, ad inſtantiam D. Thomæ dicitur ex Græcæ in Latinum tranſtuliſſe textum Ariſtot. Compoſuit etiam librum de naturis & proprietatibus rerum, quem quidam perperam & falsò tribuunt fratri Bartholomęo Angelico ordinis minorum. Compoſuit etiam librum 1. de Apibus. Claruit anno 1262. Citatur etiam frater Guillelmus Corinthienſis, vir pius & doctus, tanquam author libri de Apibus. Sed an diuerſi ſint libri de eodem argumento tractantes, ſcilicet de Apibus, an vnus tantùm, vel etiam vnus & idem author ſit hic & ille, me fugit.

Frater Guillielmus Iordanus, natione Anglus, vir vndequaque doctus, & omnibus exercitatus, apud poſteros nomen ſuum celebre fecit, ſcribendo Super 4. libros ſentent.

*Super epiſt. ad Romãn.*

*Tract. de clara viſione Dei.*

*Tract. de libera electione ante mortem.*

*Determinationes multas.*

*Serm. varios & curioſos.*

Scripſit etiam librum contra ſtudium Monachũ. Claruit circa annum 1262.

Frater Guillielmus de Tornato, vir ſingulari ingenio præditus, Theologus doctus, & in euoluendis libris ſacris aſſiduus & diligens, & omnis

generis doctrinæ ſupellectile inſtructiſſima orna-tus, ſcripſit ſuper Epiſt. Beati Pauli.

*Super nonnullos alios ſcript. ſacræ libros.*

Claruit circa annum 1293.

Frater Guillelmus de Melitona, qui fuit Cācel-latius Pariſienſis, & in Philoſophorum conſeſſu & in ſcholaſticorum locum habiturus inter præ-cipuos, & in ſacrarum litterarum lectione inter exercitatiſſimos computandus, ſcripſit Poſtillam in duodecim Prophetas minores, quam in noſtro conuentu Placentino aſſeruari ſcribit Sixtus Se-nenſis in ſua Bibliotheca. Scripſit etiam ſuper e-piſt. ad Hebræos & habetur Bononię in Conuen-tu noſtro, vt idem Sixt⁹ author eſt. Claruit anno *

Frater Guillelmus Durandi, cognomento ſpe-culator dictus qui fuit Epiſcopus Mimatenſis, vir fuit opinione doctrinæ percelebris, & in iure ca-nonico doctor excellens, & omnium ſcientiarum cultor aſſiduus, compoſuit ſummam vtiliſſimam, quam ipſe Speculum nominauit, & huius rei ipſe-met meminit in illa, in titulo de Feudis. Et hinc e-tiam Speculatoris cognomen obtinuit. Edidit & aliud volumen quod dicitur, Rationale diuino-rum officiorum & diſtribuitur in 8. libros. Scri-pſit etiam Repertorium in lib. 1. & incipit: Proto-plaſti rubigine, &c. & nonnulla alia. Claruit tem-pore Nicolai 3. ſummi Pont. anno 1279. vt dicit Onuhprius in ſuo Chron. Eccleſiaſt.

*Hūc verò Guillielmum Durandi noſtri ord. fuiſ-ſe religioſum, teſtatur author additionis, quæ fit ad Speculum Hiſtorialis Vincentij Belicacenſis librum 31. & Onuphrius in ſuo Chro. Eccleſiaſt. & author*



*ſupplem. Chronic. frater Iacobus Philippi ord. Ere-mitarum S. Auguſtini, & nonnulli alij hiſtoriogra-phi, &c. Quòd ſi quempiam mouet, vt id verum eſſe minimè credat, quia in huius authoris operibus nulla fit mentio in initio operum, quòd noſtræ fuerit religionis alumnus, infirma admodum & debilis eſt ratio iſta. Nam interdum in huiuſmodi authorum exprimendis qualitatibus ſunt minùs diligentes ty-pographi, vel etiam ignari, & apud Tritemium, Geſnerum, Onuphrium, & ſimiles, qui vel de ſcri-ptoribus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, vt illi, vel de cla-riſſimis viris & cardinalibus, vt hic, prætermiſſas ab illis ſæpius legimus, nec expreſſas huiuſmodi circunſtantias omnes. Accedit etiam, quòd nonum quam Bibliopolæ talium authorum opera lubētius, cudunt ſine huiuſmodi qualitatum expreſſione, & aliqui eadem opera, vel limando, vel ornando, ex induſtria detrahunt ab eorum titulis quod ipſis pla-cet, vel in eos eſſe diſplicet, tum quòd monachorum ſint litterarij fœtus, quos mallent quodammodo (vt ita dicā) vel abortu periiſſe, vel ignotos eſſe & ob-ſcuros, quàm doctrina & nomine claros, & ſunt il-lis ſimiles (vt Auguſtini exemplo vtar in lib. contra Fauſtum) quibus placent interdum piſces, ſed diſ-plicet, quòd his, vel illis fuerint aquis nutriti: ſic etiam hodie apud pleroſque accidit, vt licet quæ habent interdum authores monachi approbent, diſ-pliceat tamē illis, quòd illorum officina, prodierint, quia eſt illis monachorum nomen inuiſum: & ideò illud vel ſaltem ab operum titulis libenter abradūt. Bibliopolæ etiam, ne quis hæreſeos labe infecti fue-rint, ab eorum emptione deterreantur, in authorum talium operibus huiuſmodi qualitates ſupprimunt.*

*Propter aliquam ergo cauſam ex iſtis, vel ſimilem, crediderim in præfatis operibus huius noſtri Guillielmis Durandi fuiſſe detractum, vel omiſſum, quòd noſtri fuerit inſtituti.*

Dum ordinis monumenta reuoluo & pleroſque lego qui in ſimili fuerint argumento verſati, tres occurrunt Guillielmi, quos in vnum ſimul coniungere rationi conſentaneum duxi. Eorum vnus cognominatur Celdonēſis, alius verò, *Tertius, de Conneo, viri omnes tres eruditi & venerandi. Quorum primus fecit apparatum ſuper ſummam Raimundi, & nonnulla alia in vtroque iure, Secundus verò ex dictis Sāctorum compilauit ſummam notabilem, quam diſtinxit in libros 10. & inſcribitur Florigerum Theologiæ, & ambo claruere circa annum 1295. Tertius verò ſcripſit ſuper 4. libros ſentent. & aliquos alios tractatus. Et claruit circa annum 1312.

Frater Guillelmus Humerus Noneſianus, natione Teutonicus, in conuentu noſtro Cramandēſi in Sueuia veſtitus & profeſſus, Theologus præclarus, linguarum peritus, ac multiplicium rerum cognitione adornatus, & in nulla non Muſarum officina valdè notus, ſcripſit Commentaria in Geneſim lectu digna, & multis etiam Ethnicorum libris teſtimoniis refecta. Eſt liber in fol. impreſſus eſt Dilingæ apud Sebaldum Maier, anno 1564.

Frater Guillelmus Pipinus Ebreïcenſis, Gallus natione, ſacræ Theol. profeſſor, vir ingenio præſtans, grauitate morum ornatus, in Ariſtot. & Scholaſticorum doctrina egregiè doctus, iuris cæ-



ſariam Cæſarei & Pontificij non ignarus, facundiſſimus autem Euangeliſtes, atq; adeò omnibus gratus, vt vbique in concionibus, vt ipſi, parem ſua ætate Gallia vix cognouerit extitit. Scripſit autem per modum concionum.

*Super Geneſim. Super Exodum. Super 7. Pſalmos pœnitentiales, iuxta quadruplicem ſcripturæ ſenſum, volumen vnum quod fuit Venetiis excuſum,* anno 1573.

*Super epiſt. & Euang totius anni ſermonum multa volumina. Super plures ſcript. ſacræ libros, per modum concionum.*

*Librum vnum de imitatione Sanctorum*

*Opuſculū eruditum & vtiliſſimum ſuper Cōfiteor.*

*Opuſculum, quod inſcribitur de Secretis Secretorū.*

Et quàm plurima alia ſcripſit. Claruit anno 1527.

Frater Hanibaldus Romanos, &c. Vide Anibaldum.

Frater Henricus de Heruodia (aliis Erfordia) prouinciæ Saxoniæ, conuentus Mindenſis, vir in humanis literis ſingulariter doctus, in diuinis quoque non infimè, Philoſophus optimus, theologus inſignis & orator egregius, hiſtoriarum verò diligentiſſimus ſcrutator, ſcripſit Chronicā generalem, à principio mundi vſque ad annum Domini 1355. Tract. de Concept. beatæ Virginis, eam in peccato originali conceptam probando.

*Tract. vnum de ornatu Clerici.*

*Alium de diis gentium.*

*Alium de inuectiuis in Hebridam metricum.*

*Alium exponendo illud, ſuper Cathedr. 1.*

*Alium de metris & eorum pedibus.*

*Alium de Prouerbiis.*

*Alium de principio oratorum & poëtarum.*

*Orationes etiam pro Iuuenibus ordinauit.*

Compoſuit etiam opus vnum, in quo de quolibet ente more problematum, ſecundum veram entium cohærentiam diſputat, quod vocauit Catenam auream, quam in decem partes principales diſtribuit, & in eius prologo omnium dictorum opuſculorum meminit. Habetur hic Liber Neapoli in conuentus noſtri. S. Dominici Bibliotheca communi manu ſcriptus characteribus valdè antiquis. Claruit anno 1355.

Frater Henricus Ariminenſis, vir in naturali Philoſophi Ariſt. apprimè eruditus, in Chriſtiana autem non minùs, ſcripſit Tractatum de 4. virtutibus moralibus ſatis vtilem concionatoribus. Librum etiam de politia Venetorum. Claruit circa annum 1313. P. P. *mon ord.*

Frater Henricus Teuto, Alberti Magni diſcipulus, qui Magiſtri ſui æmulatus doctrinam, & ſedulus exiſtens illius auditor, & omnis generis litterarum aſſiduus cultor, euaſit tam in ſæculari, quàm in diuina Philoſophia præclarus & inſignis. Scripſit autem ſuper 4. libros ſentent. Plura ſcripſiſſe fertur. Claruit anno 1290. P P. *mon. ord.*

Henrici tres Teutones, viri graues, eruditi & fama ſpectabiles occurrunt, amicitia fœdus quod inter ſe iniiſſe videntur, eo quòd claruerunt circa annum 1355. nolentes vllatenus rumpere, nec ab inuicem ſeparari, ſimul iungantur. Vnus eorum cognominatur de Ceruo, Magiſter in Theolog. Colonienſis, qui ſcripſit lecturam breuem & pulchram ſuper 4. lib. ſentent. S. Tho. & habetur Louanij in conuentu noſtro. Alter cognominatur



de Hunnis, & hic etiam ſcripſit ſuper 4. lib. ſentent. Tertius verò librum compoſuit, in quo illud Euangelij dilucidat. Quod eſt mandatum magnum in Lege.

Frater Henricus Hazer, vir præſertim ſcholaſticorum concertationibus aſſuetus, & in Ariſt. doctrina nutritus, qui claruit circa annum 1355. ſimiliter ſcripſit ſuper 4. libros ſentent.

Cuiuſdam Henrici Petri ſcriptum in lib. 4. ſentent. vidi, & partim legi in conuentu noſtro Illerdenſi in prouincia. Aragoniæ non ineruditum, & quia illius pleniorem non potui conſequi notitiam, his paucis verbis illius meminiſſe ſuffecerit.

Frater Henricus (aliquibus etiam dicitur Amãdus) cognomento Siſus (aliis Suſo) vir fuit natione Sueuus, doctrina & omnium virtutum genere ſplendidus, vitæ ſanctitate & miraculis cõſpicuus, ſcripſit Germanicè nonnulla ad amorem Dei incitantia. Scripſit etiam librum qui dicitur, Horologium ſapientię in quo ponitur colloquium inter æternam ſapientiam & diſcipulum. Liber fuit in lingnam Latinam verſus & prælo datus, tum alibi, tum Venetiis, anno 1492. Sed eundem poſteà rectiùs & comtiùs vertit Surius Carthuſianus, anno 1555. Edidit etiam idem Henricus centum meditationes paſſionis Domini (vt ipſe in eiuſdem libri prologo teſtatur) cum totidem petitionibus. Compoſuit etiam officium quotidianum valde deuotum, de æterna ſapientia. Edidit etiam conciones aliquas. Et epiſtolas complures eruditas. Librum de nouem rupibus. Dialogum quoque de veritate. Hæc opera Suſonis per Surium facta Latina, impreſſa fuére Coloniæ. Claruit ille

circa annum 1340.

Frater Henrricus Hachembergenſis, natione Teuto vir ſcripturarum diuinarum ſtudioſus, in ſcholaſtica doctrina eruditus. & in declamandis ad populum concionibus excellẽs, ſcripſit ſermones de tempore & de Sanctis per totum annum, Claruit Confluentiæ, anno Domini * *Tritem. & Epit. Geſn.*

Frater Henricus Kaltiiſſem natione Teuto, patria Coſluentinus, Magiſter in Theol. & Archiepiſcopus factus eccleſiarum Medroſcenſis & Cæſarienſis, vir omni commendatione digniſſimus, in ſacris literis & in Theol. Scholaſtica magnificè verſatus, ſcripſit lib. 1. ſermonum de tempore. Lib. 1. ſuper Magnificat. lib. 1. ſermonum de Sanctis. Collationes varias ad clerum. Quæſtiones multas. Obiit anno 1465. P. P. *mon. ord.*

Frater Henricus Inſtitoris, Magiſter in Theol. longè erudititiſſimus, & in nodis Theologicis explicandis felix & potens, & in aliis etiam egregius, ſcripſit librum quem vocauit, Malleum maleficarum. Fuit impreſſus Norimbergæ, anno 1496. ſcripſit etiam lib. contra errorem quorundam, dicentium, Euchariſtiam fore adorandum ſub conditione. Tractatum alium contra negantes illam eſſe verum Sacramentum. Alium tract. contra errorem quorundam dicentium, quòd ad quamlibet mutationem ſpecierum Sacramentalium ceſſabat nouitas Sacramenti. Opus ſermonum de eodem venerabili Sacramento. Opus ſermonum contra errores Maleficarum. Tractatum contra Antonium Roſellum, de poteſtate Papæ. Claruit anno 1496. P. P. *mon. ord.*



Frater Henricus de Franchouar, & frater Henricus de Ferraria, qui ambo claruerunt anno 1390. viri graues, ingenio pręſtantes, & litteraturæ fama ſpectabiles, huc properant, & primus eorum ſermones varios de tempore & de Sanctis in cumulum aſportat, hic vero tractatũ curioſum de quadruplici inſtinctu. Quibus fratrem Henricum de plano Aſtẽſem non erit abs re aſſociare, qui etiam ſermones Quadrageſimales & alios varios ſcripſit. Et hic claruit circa annum 1420.

Frater Hermanus de Triuiſio, & frater Hermanus de Auguſta, viri ambo egregij, & peritorũ virorum ſuæ ætatis calculo iure optimo annumerãdi, non minùs properè ſe huc conferunt, & ne illis denegetur introitus aut conſeſſus, primus Poſtillã ſuper Cantica Salomonis aſportat, & multa alia quæ diſtinctè non datur exprimere, ſecũdus verò tractatum de Cognitione creata, ſenſitiua, & intellectiua. Quæſtionũ multarũ determinationes. Plura etiã Quodlibeta. Et hic claruit circa an. 1355.

Frater Hermanus (aliis eſt Hermãdus) natione Teuto, patria Mindenſis, qui fuit aliquando prouinciæ Teutoniæ moderator, vir in agendo prudens, Peripateticorum doctrina ſufficiẽter imbutus, in Theologia autẽ Scholaſtica, & in iure Põtificio nobiliter verſatus. Scripſit librum de interdicto. Librum etiam de inquiſitoribus criminũ. Epiſtolas ſingulares ad diuerſos. Claruit an. 1270. P. P. *mon. ord. & Leand.*

Frater Hermanus Zithar⁹, Coloniẽſis, Magiſter in Theol. vir egregij nominis, inter Philoſophos notus habetur, in poëſi præclar⁹, in diuinis literis exercitatus, & in Scholaſtica doctrina nõ vulgaris.

Scripſit autem metricè opus præclarum, quod prænotatur Manuale confeſſorum. Quòd plura ſcripſerit, me latet. Claruit anno 1406.

Frater Heruæus, natione Brito, qui fuit generalis Magiſter noſtri ordinis 14. in ſerie, Magiſter in Theol. Pariſienſis, vir ingenio acutiſſimus, in diſputando acerrimus, & mirus D. Thomæ doctrinæ (in qua erat profundè & ſolidè doctus) propugnator, atque inter celeberrimos ſuæ ætatis viros & clariſſimos habitus. ſcripſit ſuper 4. libros ſentent. Qui lib. fuit impreſſus Venetiis anno 1505. Quodlibeta maiora 4. quorum quodlibet 11. quæſtiones, & amplius cõplectitur, & quælibet quæſtio plures articulos. Liber fuit impreſſus an. 1486. Quodlibeta minora 24. lib. impreſſus Venetiis, anno 1513. Contra Henricum à Gandauo ſcripſit librum, de ente & eſſentia. Contra eundem, de pluralitate formarum. Contra eundem, de intellectu.

*De vnitate formæ in homine.*
*De vnit. formarum contra Durand.*
*Tract. de cognitione 1. Principij.*
*Tract. de Sacramentis.*
*De æternitate mundi.*
*De materia Celi.*
*De voluntate: de verbo.*
*De motu Angeli.*
*De relationibus.*
*De paupertate Chriſti & Apoſtolorum.*
*Tract. duos de ſecundis intentionibus.*
*De ordine 2. intentionis ad primam.*
*Contra Durandum quod illa in quibus D. Thomæ aduerſabatur.*
*Tractatum aut lib. de poteſtate vtraque, Regali ſcilicet, & Papali.*
*Tract. de virtutibus moralibus.*
*De beatitudine.*
*De poteſtate Papæ.*

Et multa alia. Obiit Narbonæ, anno Domini 1323.



Frater Hieronymus de Bononia, & frater Hieronymus Forliuienſis, ambo Itali natione, prædicatores inſignes & viri ingenio & doctrina præſtantes, ad has noſtras ædes non lentè veniunt, nec vacui. quoniam vti Parthorum Regum limina nulli ingrediebantur vacui, ſic nec & iſtas noſtras ædes. Et primus horum Chronicam noſtri ord. compilatam vſque ad ſua tempora portat, ſecundus verò & ſermones varios de tempore & de Sanctis, & quædam hiſtoriarum fragmenta, & multa alia opuſcula, quæ in Bibliotheca conuentus noſtri Forliuienſis ſeruantur. Claruit ille anno 1484.

Frater Hieronymus Sauanarola, natione Ital9, patria Ferrarienſis, Bononiæ in conuentu noſtro ad habitum ſuſceptus, vir fuit perſpicacis ingenij, ſolertiæ perraræ, tam in omnis generis Philoſophia, quàm in ſacrarum litterarum ſtudio exercitatus, multa facundia pollens, & inter egregios Dei præcones ſuo tempore habitus præcipuus. In eo (vt ſcribit de illo quidam vir grauiſſimus, nempe Ioannes Picus Mirandulanus) non erat facile iudicatu, vtrum eius eruditio morum grauitatem, an hæc doctrinam excederet. Tantum autem abeſt, vt hæreſcos vlla labe infectus fuerit (quod quidam illi falsò & mendaciter impingit) vt pro

fide, verbo & ſcriptis certarit indefeſsè. Licèt autem igni traditus vitam finierit, id aliqui eius aliquali contumaciæ aſcribunt, alij verò quorũdam contra ipſum maleuolentiæ excitatæ odio & calumniis: quibus permoti, illum apud ſummũ Pontificẽ diffamarunt. Quæ autẽ poſteris reliquit ſui monumẽta ſermone Latino conſcripta hæc ſunt.

*Liber qui inſcribitur, Triumphus Chriſti.*
*Lib. de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ.*
*In Pſalterium Dauidis.*
*Comment. in Cantica Salomonis.*
*Liber alius quem vocauit Solatium itineris mei.*
*Compendium reuelationum.*
*Manuale Confeßionum.*
*Liber de prophetica veritate.*
*Commentaria in Geneſin.*
*Commentaria in partem Leuitici.*
*In Threnos Hieremiæ.*
*In quindecim priora capita Iob.*
*Opus de Poëtis.*
*Sermones in aduentu Domini.*

Super Arcã Noë, & Quadrageſimales. Liber impreſſus Venet. anno 1536.

Sermones ſuper Ezechielem, fuerunt impreſſi Bononiæ, an. 1515. Serm. ſuper Amos & Zachariam impreſſi Venet. anno 1515. Compendiũ totius Philoſophiæ, &c. impreſſum Venet. 1534. Cõpendium Logicæ impreſſum Venetiis anno 1540. Lib. 1. de diuiſione, & ordine, & vtilitate omniũ ſciẽtiarum. Expoſitiones 4. orationis Dominicæ. Expoſitio in gradus D. Bonauenturæ, quibus ad profectionem vitæ ſpiritualis aſcenditur. Cõcluſiones perbreues decretorum Pontificũ. Queſt. plures tam in Theol. quàm in Philoſophia, quas terminauit. Expoſitio ampla in Pſalmum, Qui regis Iſraël. Expoſitio in Pſal. 130. Expoſitio in quinque verſus priores illius Pſalmi, in te Domine ſperaui. Confeſſionale quoddam, impreſſum Papiæ, anno 1567. Regula benè viuendi. Scripſit etiam æpiſtolas complures: & multa alia ſcripſit. Commentatiunculam, qua ſectam Mahumeti, omni ratione carere monſtratur.



*Italico autem idiomate ſequentia.*

*Librum de Amore Chriſti.*
*Lib. de Sacrificio Miſſæ*
*Opuſculum de viduali vita.*
*Lib. de Oratione.* *Lib. in mentalis orationis.*
*Laudem, contra diuinatricem Aſtrologiam.*
*Tract. de humilitate, alium quo 10. præcepta explicantur.*
*Regulas exhortatrices ad Religioſos.*
*Antidotum ſpirituale contra corporalem peſtilentiã.*
*De ſacrificio Miſſæ.*
*Hymnos etiam varios.*
*Expoſitionem orationis Euangelicæ.*

Triumphum Chriſti, & compendium reuelationum ex lingua vertit in vulgarem. Varia volumina concionum, quas habuit ad populum, & multa alia. Claruit anno 1490.

*Hæc omnia opera illius recenſet in illius vita, quam compoſuit illuſtris Dominus Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus, Dominus Mirandulæ, & Concordiæ Comes, cap. 13.*

Meminiſſe autẽ oportet, ꝙ (vt etiã Sixtus Senẽſis animaduertit in ſua Bibliotheca) Sãcta Synod⁹

Tridentina, vel illius decreto factus catalogus librorum prohibitorum, &c. vetuit legi ſequentes concion. eius, quandiu non fuerunt à S. Romana Eccleſiæ inquiſitione limatæ, videlicet,

Sermon. 1. in Exod. cap. 2. 3. 6. & 10. & 30.

In Ruth autem cap. 3 ſermonem qui incipit, & ecce nocte iam.

In Iob cap. 5. ſermonem qui incipit, Beatus vir.

In Ezech. ſermones 21. 32. & 41.

In Amos cap. 4. Serm. 12.

In 3. Reg. 18. hortationem ad populum hibitam anno 1494. die 7. Aprilis.

*Fieri poteſt, vt aliqua alia vel eius opera, vel aliorum quos hoc catalogo recenſeo, ſint alicubi legi prohibita quòd ſi ita ſit, tu lector candide, greſſus tuos ſemper dirige ſecundum voluntatem* Domini, *quæ tibi innoteſcit per illos, quos in eccleſia ſua rectores poſuit, vel quouis modo ad regendum in poteſtate conſtituit, & tam ea quæ* Dominus *per ſeipſum, quàm per ſuos miniſtros & ſuperiores noſtros præcipit, vel vetat, diligenter obſerua, cùm ſecundum* D. Bernardum *in lib. de diſpenſatione & præcepto, hæc duo non differant, quantum ad id quod quicunque obedire tenemur domino, ſiue per ſe, ſiue per ſuos aliquid ordinanti. præcipienti, vel prohibenti.* Itaque *venenoſam arbitrare ſemper quorumcumque prohibitorum librorum lectionem.* Et *ſi forſan titillatio aliqua ſubrepat, & deſiderium illos legendi, diuini eſto ſemper iudicij memor, & tibi dictum puta in ſimilibus,* Suſtine *& abſtine.*

Frater Hieronymus Peciana Vercellenſis, vir in humanioribus litteris eruditus, ſacrarum verò non ignarus,



ignarus, ſcripſit Epigrammata quàmplurima, eius eruditionem & ingenium multiplex cōmoſtrantia. Scripſit etiam epitaphia pleraque. Claruit anno 1512. *Leand. lib. 4.*

Frater Hieronymus Albertutius Burſellus Bononienſis, vir muſis omnibus charus, ingenioſus pariter, & doct⁹, imò qui etiam viros grauiſſimos quoſuis & literatura præſtantes mereatur habere laudatores, ſcripſit Chronicam omnium rerum geſtarum ab orbe condito vſque ad annum 1491. Annales conuentus noſtri Bononiēſis, ab inſtauratione vitæ regularis, vſque ad ſua tempora.

*Tabulam vnam Doctorum aſſerentium* B. *Virginem in peccato conceptam.*

*Annales fratrum ord. prædicat.*

*Tabulam de generalibus* Magiſtris *noſtri* Ord.

*Aliam de viris illuſtribus noſtri ordinis.*

Sermones varios. Claruit anno 1490.

Frater Hieronymus patria Venetus, ex nobili familia Triuiſana, qui etiam fuit Veronenſis Epiſcopus, vir benè doctus, & in concionibus ad populum, multæ fuit facundiæ, & gratiæ, ſcripſit expoſitionem in Epiſt. ad Hebræos, & illius meminit Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca. Obiit anno 1562. Cui adſociare rationi conſonum duxerim fratrem Hieronymum Fornarium Papienſem, virum etiam doctrinæ & religionis præſtantia clarum, qui ſcripſit librum de Immortalitate animæ. & fuit impreſſus Bononiæ, anno Domini 1519.

Frater Hieronymus Menopolitanus ex prouincia Apuliæ, vir ingenij acrimonia præditus, Philoſophus nō ignobilis, in Scholaſtica doctrina ſo-

lidè doctus & reſolutus, litterarum ſacrarum ſtudioſus, & in concionibus ad populum facundus & gratioſus erat: qui etiam huius diuini muneris præſtantia & in rebus agendis dexteritate magnã potuit fabricam conuentus noſtri regij S. Dominici conſtruere, & in ipſa ciuitate etiam hoſpitale inſigne S. Mariæ, in morbo incurabili laborantium gratiam. Tantæ denique fuit apud omnes & tam eximiæ authoritatis quantæ maxime. Fuit quoque prouinciæ regni moderator digniſſimus & multis annis in ſtudio Patauino Metaphyſicam magna cum laude & multo cum auditorum concurſu & profectu profeſſus. Scripſit autem Quæſtiones præclaras in Metaphyſicam Ariſt. lib. de neceſſitate bonorum operum & veritate Sacramenti Euchariſtiæ, contra Zuinglium & ſimiles hæreticos, & opus dicauit Paulo 3. ſummo Pōtif. Fuitque impreſſum Neapoli anno Domini 1539. Scripſit & Cōmentaria ſuper librum Metaphyſic. Ariſtot. Tract. etiam doctum ſuper Symbolum Athanaſij. Et multa alia. Claruit an. Domini 1525.

Frater Hieronymus ab Oleaſtro, natione Luſitanus, magiſter in Theol. & hæreticorum in Portugalia cenſor, atque noſtri ord. in eodem regno moderator, primus ex Luſitanica gente poſt tempora reformationis factæ per Patres Caſtellanos, vir fuit religionis præſtãtia & doctrina clariſſimus, linguarum Hebraicæ & Græcæ peritus, & in ſacrorum voluminum lectione multùm diuque verſatus. Scripſit Commentaria eruditionis plena in libros quinque Moyſi, quibus primò litteralem ſenſum explicat, poſtmodum verò quæ inde erui poſſunt ad bonos mores, notat. Fuerunt impreſſa



Antuerpiæ per Bellerum. Scripſit etiam cōmentaria ſimilia ſuper Eſaiam Prophetam abſolutiſſima, quæ iamiã prælo danda habebat in promtu, ſed morte eum præoccupante, id facere nequiuit. Seruãtur Oliſbonę in cōuētu noſtro. Super Hieremiã, duodecim Prophetas minores & aliquot alios Bibliorũ libros dicitur quòd cōmentaria pararat, attamen nondum habebat ea exactè limata, cùm fuit vita functus. Librum etiã contra hæreſes horũ temporũ ſcripſiſſe fertur. Obiit anno Domini 1563.

Frater Hieronymus Vielmius natione Venetus, & epiſcopus factus Emonienſis, vir naturalibus & acquiſitis dotibus optimè exornatus, in humanioribus litteris eruditus, in ſacris verò & in ſcholaſtica doctrina benè exercitatus, ſcripſit opus eruditum, de ſex diebus cōditi orbis. Orationē egregiã in cōmendationem D. Thomæ & ſcholaſticorũ.

*Aliam de munere Epiſcopi.*

*Aliam orationem Apolegeticam.*

Liber hæc continens prodiit impreſſus Venetiis his annis. Plura eius non vidi. Viuebat adhuc anno 1576.

Frater Hieronymus Panormitanus, magiſter in Theol. vir vndequaque doctus, qui & ſtudio Neapolitano & in Lōbardia fuit per plures annos Regens meritiſſimus. Fuit autem in docendo magis diligens, quàm in poſteritatis gratiam, notabile aliquod opus edendo. Scripſit, Confeſſionale vnum non contemnendum. Plura eius non vidi. Vixit adhuc anno Domini 1570. aut circiter.

Frater Hieronymus Fazellus natione Siculus, magiſter in Theol. vir humanarum litterarum & diuinarum notitia clarus, eloquẽs, & diuini verbi

Euangeliſtes egregius, & multis aliis nominibus venerandus, ſcripſit ſermonum Quadrageſimalium volumen, quod dicauit excellẽtiſſimo Principi ac Domino Ioanni Auſtriaco. Liber fuit impreſſus Pauorni, in regno Siciliæ, anno 1575. quo eodem adhuc viuebat author.

Frater Hieronymus Brauaterius Brixienſis, vir in ſtudiis diligens, in ſæculari Philoſophia non ignobiliter doctus, & in diuina æquè expertus, ſcripſit ſuper Iſagogen Porphyrij, eamque ſatis luculentam expoſitionẽ, quam dicauit totius ord. noſtri paſtori optimo & colendiſſimo generali Magiſtro etiam Brixienſi, viro vita integerrimo, fratri Seraphino Cabali. Liber eſt in 4. & fuit impreſſus Brixiæ, anno 1573.

Nauarrus ab Alpizcult vir in iuris Canonici cognitione longè eruditiſſimus, & quondam in vniuerſitate celeberrima Conimbricenſi eiuſdem iuris profeſſor primarius celeberrimus, in electione quam edidit ſuper cap. Nouit. de iudiciis notab. 4. meminit cuiuſdam Hieronymi Balbi Dominicani, & aliquot opera eius, quæ edidit refert.

Frater Hieronymus Pirerius natione Luſitanus, Epiſcopus Salenus & ſuffraganeus ſereniſſimi D. Henrici, infantis Portugalliæ, Cardinalis ac tunc temporis Reuerendiſſimi. Archiepiſcopi Eboracenſis, poſteà verò Luſitaniæ Regis, vir moribus grauis, ac concionator clariſſimus, ſcripſit librum ſeu tract. de Reſurrectione Domini, & de illius tempore, quo multa hanc materiam concernentia tractaſſe dicitur. Hunc tamen non euulgauit, Tractatum de Sacramentis Eccleſiæ ad mandatum prædicti ſereniſſimi Principis. Sermonum e-



tiam eruditione refertorum multitudinem innumeram. Sed antequàm in lucem hæc poſſet emittere, aliquot eiſque fortiſſimis confractis ſeris, omnia illi furto auferuntur ſcripta, nec poſteà etiamſi ſereniſſimi Cardinalis infans, & legatus à latere, ſuam interpoſuit authoritatem, & multas ſuper hoc fulminauit excõmunicationes, nunquam illi reſtituta fuere. Obiit Eboræ, anno Domini 1578.

Frater Hugo de S. Charo, vel de S. Theodorico, natione Burgundus, fuit Prouincialis Franciæ, & demum ab Innocẽtio 4. factus Cardinalis, ſub titulo S. Sabinæ, fuitque primus ex noſtro ordine ad Cardinalatum aſſumptus. Vir fuit præclaro ingenio præditus, concionator egregius, Theologus erudiſſimus, & ſacrarum litterarum explanator luculentiſſimus, & in illis pertractandis ſicuti authoritatis eximiæ, ſic quoque aſſiduus & ſedulus. Suæ autem eruditionis præſtantis ſpecimen reliquit poſteris, ſcribendo.

| | |
|---|---|
| *Poſtillas, ſuper Geneſim.* | *Super Iob.* |
| *Super Exodum.* | *Super Pſalterium.* |
| *Super Numeros.* | *In Prouerb. Salomonis.* |
| *Super Leuiticum* | *In Eccleſiaſten.* |
| *Super Deuteron.* | *In Cantica Canticorum.* |
| *Super lib. Ioſuë.* | *Super lib. Sapientiæ.* |
| *Super lib. Iudicum.* | *In Eccleſiaſticum.* |
| *Super lib. Ruth.* | *In Eſaiam.* |
| *Super 4. lib. Regum.* | *In Hieremiam.* |
| *Super 2. lib. Paralip.* | *In Danielem.* |
| *Super lib. Eſdræ.* | *In Ezechielem* |
| *Super Tobiam.* | *In Oſeam.* |
| *Super Iudith.* | *In Ioëlem* |
| *Super Eſter.* | *In Amos* |

| | |
|---|---|
| *In Abdiam* | *Super epiſt. ad Rom.* |
| *In Ionam.* | *Super epiſt. ad Corinth.* |
| *In Michæam.* | *In vtramque ad Corinth.* |
| *In Naum* | *In epiſt. ad Epheſ.* |
| *In Abacuc.* | *In epiſt. ad Philip.* |
| *In Sophoniam.* | *In epiſt. ad Coloſſenſes.* |
| *In Aggæum.* | *In vtranque ad Theſſ.* |
| *In Zachariam.* | *In vtranque ad Timoth.* |
| *In Malachiam.* | *In epiſt. ad Titum.* |
| *In lib. 2. Machab.* | *In epiſt. ad Philem.* |
| *Super Matthæum.* | *In epiſt. ad Hebræos.* |
| *Super Marcum.* | *In Canon. Iacobi.* |
| *Super Lucam.* | *In Can. D. Petri.* |
| *Super Ioannem.* | *In Canon. Ioannis.* |
| *Super actus Apoſt.* | *In canon. Iudæ.* |

Sicut autem dicitur de D. Hieronymo, quòd ſeipſum ſcribendo epiſtolas ſuperauit, & de Origene quòd cæteros ſcriptores omnes etſi ſcribendo vicerit, ſeipſum tamen in ſcribendo ſuper Cantica: Sic & hic Hugo noſter cùm cæteros ſcribendo, vicerit, ſeipſum tamen ſcribendo ſuper Eſaiã, In Pſalmos & in Euãgelia. Ipſe etiam (vt quidam arbitrantur) concordantias Bibliæ primus compoſuit, aut ſaltem multò auctiores reddidit, & meliùs ordinauit. Scripſit etiam ſuper 4. libros ſentent. Compendium quoque Theol. edidit. Speculum etiam Religioſorum, vel ſpeculum Eccleſiæ, vt alij vocãt. Regulam quoque fratrum Carmelitarum, de qua re lib. 1. huius Chron. conſulatur. Claruit anno Domini 1250. Obiit autem (ait Maſſæus) anno Domini 1262.

Frater Hugo Billonius (aliis eſt Bullionius, aliis



Vitonius) Aluernenſis, Claremontanæ Diœceſis, Doctor Pariſienſis, Theologus fuit inſignis, in Philoſophia egregius, & in ſacrarum litterarum lectione aſſiduus, moribus adornatus, & fama celebris, factúſque Epiſcopus Lugdunenſis, & demum per Nicolaum 4. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium aſcriptus numero, ſcripſit ſuper 4. libros ſententiarum. Librum de vnitate formæ. Librum de immediata viſione Diuinæ eſſentię. Cõtra corruptoriũ D. Thomæ. Obiit an. 1297. P. P. *mon. ord.*

*Vnius & alterius Hugonis prænominati fit mentio in libro ille recollecto ex omnium ſanctorum patrum teſtimoniis, ad probandum quòd beata Virgo fuit concepta in peccato origin. impreſſo Mediolani, anno 1475. ſine alicuius authoris nomine, cuius tamen creditur fuiſſe noſter Bandellus author. Cumque D. Antoninus Archiep. Florent. in 3. p. Hiſt. in principio, 5. fuiſſe Hugones celebres ſcribat, mirum quòd hunc ſecundum prætermiſerit.*

Fratrẽ Hugonem Barchinonenſem, Rom. Eccleſiæ Cardinalem, virum & morũ præſtantia & doctrina conſpicuum, & rerum diuinarum & humanarum notitia clarũ, qui & ſcripſit ſuper noui ac veteris teſtamenti libros, ſummam quoque de caſibus valde vtilẽ, & multa alia, &c. Referunt etiã, vt diſtinctũ ab aliis duobus quos recenſui, Tritemius, abbreuiator Geſneri, author ſupplementi Chronicorum, & alij Miror tamen ſi non ſit hic idem cum illo quem primo loco recenſui. qui de ſancto Charo dicitur. Licet, fateor, video illũ Burgundũ, hunc verò Barchinonẽſem nũcupari, &c.

Frater Hugo de Argentina, Magiſter in Theol. Pariſiẽſis, vir quẽ cũ magnis Philoſophis & ſũmis

Theologis comparando, & grauiſſimorum virorum cœtui coniungendo, nihil errabimus, ſcripſit ſuper 4. libros ſententiarum. Compēdium Theologiæ, ſermones varios, & multa alia. Claruit anno 1268. *Epit. Geſne.*

Frater Hugo de Ductona, natione Anglus, vir bonis literis imbutus, diuinarum ſtudioſus, Philoſophus & Theologus non vulgaris, ſcripſit librum vnum certaminum Scholaſticorum. Lecturas Theologiæ varias. Librum concionum popularium. Vixit anno 1350. *Epit. Geſn.*

Frater Hugo Pratenſis (eſt oppidum egregium in Etruria non multùm diſtans à Florentia) vir doctus & eloquens, & celebratiſſimus ſuo tempore Dei Euāgeliſtes reputatus, à quo auditores omnes veluti ab oraculo Dei de cælo miſſo pendebant, ſcripſit ſerm. egregios & perutiles de tempore & de Sanctis. Obiit anno Domini 1322. *Leand. lib.* 4.

Frater Hulricus de Argentina, ſacræ Theolo. Bacchalaureus, Alberti Magni quondam diſcipulus, qui & auidiſſimè hauſit ex tali fonte omnis generis doctrinam cum multa pietate coniunctam, & tam in libertalibus diſciplinis, quàm in ſacris literis, & concertationibus Theologicis euaſit egregius, ſcripſit

*Super libros de Anima Ariſt.*
*Super libros Meteoror. eiuſdem.*
*Super 4. libros ſentent.*
*Summam Theologiæ.*

Claruit anno Domini 1272. *P.P. mon. ord.*

Hulrici cuiuſdam Dominicani, vel Heluuici, meminit frater Bernardus de Luzemburgo in ſuo



Catalogo hæret. lib. 1. cap. 5. & ait, quòd ſcripſit lib. 7. De proprietatibus rerum. & in verbo Cinnici citat etiam Bartholomæū, de proprietatibus rerum. Ex quo apparet de eodem argumento fuiſſe ab his authoribus libros diuerſos conſcriptos.

Frater Humbertus de Romanis, natione Burgundus, Diœceſis Vienenſis, qui poſteà fuit noſtri ord. generalis Magiſter quintus in ſerie, vir fuit religione conſpicuus, & illius inſigne decus, doctrina clariſſimus, in ſacris literis & in patrum lectione inſigniter verſatus, & de omnib⁹ bonis diſciplinis optimè meritus, ſcripſit

*Super Regulam D. Aug. lib. 1.*
*De officiis fratrum ord. prædic. lib. 1.*
*De tribus votis eſſent. religionis. lib. 1.*
*Summam prædicantium in 3. lib. diſtinctam, vt abbreuiator Geſne. illi tribuit.*
*De veris & falſis virtut. lib. 1.*
*De prædicatione Crucis, lib. 1.*
*De eruditione Religioſorum, lib. 1.*
*Super Conſtitution. noſtri ord. expoſitionem.*

Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1. Mandato etiam eiuſdem compilatus fuit liber qui dicitur. Vitæ fratrum ord. prædicat. De præfato tamen opere de eruditione Religioſorum, videantur quæ ſuprà notaui in hacmet Bibliotheca ordinis in litera G. in verbo Guillelmus Peralt. Claruit anno 1254. *P. 4. mon. ord. & Leand.*

Frater Humbertus Locatus Placentinus, ſacræ Theol. profeſſor, Epiſcopus Balneorenſis factus à felicis memoriæ Pio 5. vir grauitate morum & litteratura conſpicuus, nec ſolùm Theologiæ, ſed & iuris Canonici notitia exornatus, ſcripſit opus

quod inſcribitur, opus iudiciale inquiſitorum. Liber eſt in 4. impreſſus Romæ, anno 1560.

Frater Humbertus, natione Florentinus, qui fuit Piſtorienſis Eccleſiæ Præſul, vir grauis & eruditionis eximiæ, ac famæ percelebris, ſcripſit commentarios in Metaphyſicam Ariſt. Plura eius non vidi. Claruit anno * D. Anton. 3. p. hiſto. titu. 23. cap. 11.

Frater Iacobus de Sancto Andrea, patria Senẽſis, Magiſter in Theologia, Vir tam in ſpeculatiua Theologia, quàm etiam in practica reſolutus, & in ſcripturis ſacris egregiè exercitatus, compoſuit librũ in quo reduxit Iſidori Hiſpalenſis libros omnes Etymologiarum ad ordinem alphabeti. Scripſit etiam ſermones dominicales & Quadrageſimales, duplicatos. Sermones etiam alios complures. Lecturam non contemnendam ſuper 4. lib. ſententiarum. Claruit anno 1262.

Frater Iacobus de Peruſio, & frater Iocobus Scalza de Vrbe veteri, viri graues & eruditi, & in concionibus ad populum proclamandis exercitati & potentes, ſuæ eruditionis ſpecimẽ poſteris dederunt, ſcribendo ſermones prædicabiles & perutiles, prout eorum quilibet præſtitit. Claruerunt anno 1262.

Frater Iacobus de Lauſania, doctor Theologus Pariſienſis, & prior Prouincialis Franciæ, ac tandem Eccleſiæ Lauſanenſis Præſul colendiſſimus, vir fuit ingenio præclarus, in ſcripturis diuinis tractandis ſatis dexter, & in concionibus ad populum declamator egregius, multarum quoque rerum notitia adornatus, nomen ſuum apud poſteros celebre fecit, ſcribendo Poſtillas.



| | |
|---|---|
| *Supe Geneſim.* | *Super librum Sapientiæ.* |
| *ſuper Exodum.* | *Super Eccleſiaſten.* |
| *ſuper Leuiticum.* | *Super Eſaiam.* |
| *ſuper Numeros.* | *Serm. de tempore.* |
| *ſuper Deuteron.* | *Serm. de Sanctis.* |
| *ſuper Iob.* | *Serm. de Quadrag.* |
| *ſuper Prouerb. Salom.* | *Super 4. lib. ſent.* |

Multa horum volumina haberi Venetiis, in Bibliotheca noſtri conuentus Diuorum Ioannis & Pauli aſſerit Sixtus Senẽſis in ſua Bibliotheca ſancta. Scripſit etiam ſuper multos libros Bibliorum feliciſſima quædam quæ ſimilitudinibus egregiis interdum explicat, opus egregium pro concionatoribus, quod impreſſum vidi & legi in Belgio in conuentu noſtro Inſulenſi. Hunc Sixtus Senenſis in ſua Biblioth. aſcerit claruiſſe, anno 1390. Supplementi Chronic. author, quòd claruit anno Domini 1375. Alij verò illum referunt ad annum Domini 1262. aut circiter. In antiquis tamen ſcripturis, quas Barchinonæ in cõuentu noſtro vidi, eum Pariſiis, anno Domini 1317. ad gradum licentiarum fuiſſe promotum legi, ideò ad hoc tempus referendum arbitror.

Frater Iacobus Romanus, vir & propter eruditionem & pleraſque alias animi dotes quibus fulſit, venerandus (nam fuit fama ſpectabilis, & opinione doctrinæ non ignobilis) ſcripſit, Librum de perſequutionibus. Librum alium de victoriis. Librum de virtutibus & vitiis regum Romanorum. Sermones varios de tempore & de Sanctis. Claruit circa annum * P. P. *mon. ord.*

Frater Iacob⁹ de Voragine, ſic dict⁹ (ſi Tritemio creditur) propter profunditatẽ doctrinę; quaſi voraret omnes (aliis de Viragine dictus, ab oppido

quod eſt in territorio Genuenſium) Archiepiſcopus poſteà factus Genuenſis, vir fuit ſuo tempore clariſſimus & multiiuga rerum cognitione illuſtris, in diuinis autẽ ſcripturis verſatus admodum, & voluminum D. Auguſtini tam diligens & aſſiduus lector, vt ferè illius omnia memoria tenuiſſe diceretur. Apud poſteros autem ſuum nomen euulgauit multipliciter, Vtriuſque teſtamenti libros in Italicum ſermonẽ primus vertiſſe fertur. Legendas ſanctorum in vnum volumen compillauit, multa illi ex hiſtoria Eccleſiaſtica & Tripartita coniungens. Compoſuit etiam duo volumina ſermonum de omnibus Sanctis, quorum feſta per totum annum ab Eccleſia celebrantur. Vnum diffuſius, aliud contractius. Compoſuit etiam librum qui dicitur, Defenſorium contra impugnantes fratres prædic. quòd non viuerent ſecundum regulam Apoſtolicam. Compoſuit etiam ſermones de omnibus Euangeliis Dominicalibus, quæ per anni circulum in Eccleſia leguntur, & ſuper quolibet duos aut tres ſerm. Aliud volumen ſermonum Quadrageſimalium. Compoſuit etiam librũ quem vocauit Mariale, & totus ille verſatur in laudibus B. Virginis Mariæ. Librum vnum de opuſculis B. Auguſtini. Summã Guillielmi Peraldi, de vitiis & virtutibus redegit in compendium. Chronicam quoque Genuenſium compilauit. Obiiſſe dicitur anno 1298. P. P. *mon. ord.*

Frater Iacobus de Meuania, vir prudens & grauis, & qui vocationem ſuam per bona opera certam facere ſategit ſemper, & ideò vt eruditionis, ſic & ſanctitatis merito euaſit opinione celebris, & tam humanarum diſciplinarum, quàm diuinarum magnitudine præſtans, ſcripſit librum vnum de Saluatore noſtro. Alium de iudicio extremo. Obiit Meuaniæ, anno Domini 1301.



Frater Iacobus, qui fuit Peruſinus Epiſcopus, & frater Iacobus de Cezolis viri graues, litteraturæ egregiæ, & multùm venerandi eiſdem ædibus ſimul & vna ſimul manſione contenti erunt in hac noſtra Bibliotheca, quoniam ille ſolum ſermones prędicabiles tranſmiſit ad poſteros, hic autem etiam ſerm. varios & librum moralem pro nobilibus, de ludo ſcacorum. Nec (quod ſciam) plurium habent quæ compoſuerint operum ſupellectilem. Claruiſſe ferũtur circa annum Domini 1295.

Frater Iacobus de Beneuẽto, Magiſter in Theolog. Philoſophus & Theologus præclarus, diuinarum litterarum valdè ſtudioſus, & omnium rerum cognitione adornatus, ſcripſit

*Opuſculum de articulis fidei.*
*Aliud de oratione Dominica.*
*Aliud de Sacramentis.*
*Aliud de decem præceptis.*
*Aliud de 8. beatitudinibus.*
*Aliud de dotibus.*
*Aliud de fructibus.*
*Aliud de virtutibus*
*Sermones de tempore.*
*Sermones de Sanctis.*

Claruit anno Domini *

Frater Iacobus de Suzato in Colonienſi conuentu olim hæreticę prauitatis inquiſitor, & ſacrę fidei contra hæreticas validus & infractus propugnator, in Philoſophia ſatis inſtructus, in Theo-

logia verò Scholaſtica & in ſacrarum litterarum lectione valdè celebris,& demum in cõſeſſu quorumcumque doctiſſimorum non infimum ſibi locum vendicans, ſcripſit Super Euang. Matthæi tria magna volumina. Super librum Sapientiæ 2. volumina ſatis etiam magna.

*Super epiſt. Pauli ad Titum.*
*Lib. 1. de Conceptione B. Virginis.*
*Collationes breues Latinas.*
*Super 4. libros ſententiarum.*
*Super epiſt. Pauli ad Hebræos.*
*Librum 1. de origine & vnitate Eccleſiæ.*
*Lib. 1. de hora mortis Chriſti.*

Chronicam noſtri ord. ex qua accerſita ad hãc noſtram ſunt aliquot illuſtrium virorum nomina & opera. Mappam mundi. Librum vnum de miſſa. Diſtinctiones breues & longas, pro arte colligendi. Ordinauit etiam priuilegia noſtri Ordinis, apponens etiam eorum quaſdam defenſiones. Claruit circa annum 1415. P. P. *mon. ord.*

Frater Iacobus Sprengerius, natione Teuto, Magiſter in Theol. prouinciȩ Teutoniȩ olim moderator vigilantiſſimus, vir fuit ingenio & doctrina clarus, qui cùm ab Innocentio 8. fuiſſet conſtitutus hȩreticorum Cenſor, ſimul cũ fratre Henrico Inſtitoris, ſcripſit ſimul cum illo pro cautela Simplicium librum quem vocauerunt, Malleum meleficarum. Lib. fuit impreſſus * Cõpoſuit etiam volumen vnum, quo complexus eſt inſtitutionem, approbationem, miracula, & indulgentias ſocietatis ſanctiſſimi Roſarij. Claruit circa annum 1480. P. P. *mon. ord.*



Frater Iacobus de Theſſalonia, vir magni iudicij, nec minoris doctrinæ, & in declamandis ad populum concionibus ſuo tempore cum magnis comparandus, compoſuit opus inſigne de moribus hominum, & officiis nobilium ac populariũ, materiam vel anſam ad id accipiens ex ludo ſcacorum. Eſt lib. in 4. diuiſus. Serm. etiam varios, & nonnulla alia. Claruit anno *

Frater Iacobus de Bruxellis (aliis eſt de Angia) vir eruditus, & in D. Tho lectione ſtrenuus & valdè verſatus, dũ D. Thomas in ſua ſumma Theologica ſuam doctrinam connectendo dicit, vt ſuprà dictum eſt, vel vt infrà dicetur. quæſtiones adnotauit & articulos ad quos ille lectorem remittit, & tam in p. p. quàm in p. 2. & 2. 2. eas citationes ipſe in multis correxi & auxi, & in 3. p. paraui; & ita illuſtratas omnes partes D. Tho. cum aliis quorum antea memini, prælo dari curaui, &c.

Frater Iacobus Ægidij, magiſter in Theol. eruditiſſimus, ingenij, eloquentiæ & doctrinæ ſplendore clarus, ideòque Magiſter ſacri Platij factus, ſcripſit officium de Transfiguratione Domini, quo nunc Eccleſia vtitur, ex mandato Calixti Papæ. Librum de veritate Conceptionis B. Virginis. Claruit anno * P. P. *mon ord.*

Frater Iacobus Zinidolus de Placentia, & frater Iacobus de Cathalonia, viri multa veneratione digni propter eruditionis præſtantiã, qua fulſerunt, occurrunt, vt ſimul has ædium manſiones occupent: & prior quidem ſcripſit Sermones principij & principia, Collationes etiam plurimas. Et claruit circa annum 1420. Alter verò

etiam compoſuit librum ſeu tract. de Conceptione B. Virginis, & citatur in illo libro recollecto ex patrum ſententiis ad probandum Conceptionem B. Virginis, & eſt Bandelli.

Frater Iacob9 de Aſtudilho, natione Hiſpanus, Philoſophus inſignis, & Theologus reſolutus extitit. De quo quoniam ſermone fuit imperitus, dicere ſolebat doctrinæ ſcholaſticæ in Hiſpania ſuo tempore præcipuus parens, frater Franciſcus de Victoria, frater Iacobus de Aſtudilho eſt me doctior, ſed ego mea meliùs vendo, quàm ille ſua, in hoc ſignificans doctrinam illius eximiam quidem at ſermonis imperitiam. Scripſit ſuper 8. lib. Phyſicorum quæſtiones eruditiſſimas. Et liber fuit impreſſus in Hiſpania. Perlegit etiam in noſtro Collegio Vallis Oletano Euangelium Matthæi & epiſt. Pauli, & aliquot alios Bibliorum libros. Cuius ſcripta in eodem collegio ſeruari dicuntur. Claruit anno 1525.

Frater iacobus Naclantus Florentinus, Epiſcopus Clugienſis, vir ingenio felix, Philoſopus ſæcularis & Chriſtianæ bene peritus, ſacrarum litterarum interpres fidus & ſedulus, & in controuerſiis huius tẽporis inter Catholicos & hæreticos benè verſatus. Concilio Tridentino interfuit, & ibi in lucem emiſit aliqua eorum quę mox recenſebuntur. Scripſit Theoremata quædam ſuper totam Philoſophiam. Librum de medulla ſacræ ſcripturæ, in quo agit de 6. ætatibus correſpondentibus 6. diebus creationis mundi. Eſt opus reſolutum & doctum, in quo diffuſiùs tractat quæſt. de Cótingentia rerum, de infinitate primi Motoris, &c. & de creatione rerum, de immortalitate animæ. Scripſit



Scripſit etiam librum 1. de Regno Chriſti. lib. 1. de Papa, & Concilij poteſtate. Lib. 1. de pontificatu maximo, & de ſacerdotio Chriſti. Fuit impreſſus Venetiis anno 1554. Comment. in epiſt. ad Romanos. Comment. in epiſt. ad Epheſios. In his commentariis plurimas difficultates explicat eorum, quæ nunc ab hæreticis controuertũtur. Liber fuit impreſſus Venetiis, anno 1570. Scripſit etiam ſũper Pſalmũ 90. Alios tract. edidit de materiis hoc noſtro ſæculo controuerſis, vt de Indulgentiis, de primatu Petri, &c. Claruit anno 1560.

Frater Iacob9 de Oſana iure optimo totus querulus occurrit quòd per obliuionem eum hucuſque reſeruauerim, & inter Neotericos collocem, cùm tamen, claruerit anno 1314. quo obiit. Vir fuit vt magni iudicij, ſic & litteraturæ præſtantis, præco Dei nom vulgaris, & demum Epiſcopus factus Oſananus. Is plures ſacrorũ Bibliorum libros expoſuiſſe memoratur. Scripſit etiam ſermones plurimos, vt dicit in ſua Chronica frater Ioannes de Cruce, lib. 4. cap. 31.

Frater Iacobus Hochſtratanus, olim noſtri cõuentus Colonienſis prior, Philoſophus egregius, Theolog9 plenè eruditus, & in ſcripturis ſacris bene exercitatus, ſcripſit

*Lib. 1. de fide & operibus.*

*Alium lib. de libertate Chriſtiana cõtra Lutherum.*

*Margaritam Philoſophiæ moralis.*

*Apologiam ad Cabalæ deſtructionem contra Ioannem Reuclinum. In addit. 2. ad Tritem.*

*Aliam contra ſacerdotes concubinarios.*

*Lib. 1. de Purgatorio. Alia multa contra hæreticos.*

Claruit anno Domini 1512.

I

Frater Iacobus de Columna, vir in aliis eruditus, ſed in hiſtoriarum lectione eruditiſſimus, ſcripſit Chronicon egregium vſque ad annum Domini 1340. Ex quo D. Antoninus Archiep. Florẽt. plurima ad ſuas partes hiſtoriales aſciuit; eumque frequenter citat.

Frater Iacobus (aut fortè Petrus) Hiroſquus ex prouincia Aragoniæ, magiſter in Theol. vir in Scholaſticorum quæſtionibus nobiliter eruditus, ſed in ſacris litteris, quas per plures annos publicè profeſſus eſt Barchinonæ, doctiſſimus, fide dignorum & grauium virorum relatu accepi, quòd ſcripſit librum vnum, talis tituli, Series, vel Concordia ſuper 4. Euangelia & quòd fuit impreſſus. Scripſit etiam lecturas eruditas ſuper Geneſim, ſuper Exodum, Leuiticum, Numeros & Deuteron. & ſuper epiſt. D. Pauli & ſuper aliquot alios libros Scripturæ ſacræ, quos quoniã morte præoccupabatur, in lucem dare nequiuit, & in conuentu noſtro Barchinonæ ſeruari dicuntur.

Frater Iacobus de Nuceria, in regno Apuliæ, qui olim fuit illius prouinciæ moderator vigilantiſſimus, & ſtudij Andrienſis Regens, magiſter in Theol. vir & rerum agendarum peritia, & literatura clarus, ſcripſit cõmenta. & quæſtiones multæ eruditionis ſuper Metaphyſicã. Claruit anno*

Frater Iacobus Ferram, vir fuit in quo diuinæ gratię eximium relucet exemplum, quia natus fuit Tripoli ex parentibus non Chriſtianis, Dei tamen beneficio ſingulari accidit, vt à Chriſtianis fuerit captus, dũ foret in tenera ætate, & Barchinonam deductus, regenerationis lauacro fuit intinctus, ac tandem Deo opt. maximo erga ipſum ſuæ miſericordiæ & liberalitatis donũ amplius manifeſtãte,



& ipſo etiam vocationi illi non contradicente, ſed in auditu auris obaudiẽte, religionis noſtræ ſuſcepit habitum, & adeò in religione profecit, & in literis, vt & magiſter in Theol. euaſerit, & religionis parens, ac noſtri ord. in prouincia Arogoniæ moderator fuerit bina vice digniſſimus. Compoſuit Officium B. Raimundi, viri ſanctiſſimi, quod canitur in regnis Cathaloniæ, Valentiæ & Aragoniæ, die 7. Ianuarij, quo illius feſtum celebratur. Plura eius non vidi. Obiit Pamplonæ, circa annum 1566.

Ioannes plurimos quaſi turmatim properantes video, vt ſuas occupent ſedes: & ne illæ deficiant, eos interdum diſponam binos & binos, præſertim illos quibus fuerit rei familiaris curta ſupellex. Et primo loco occurrũt Hiſpani duo, qui primos accubitus ſolent in quouis conſeſſu ſemper amare. Vnus eorum vocatur, frater Ioannes de Monte, ſacræ Theol. doctor inſignis & B. Dominici patris noſtri ſocius: alter, frater Ioannes de Caſtillia, ambo viri pij & eruditionis egregiæ, quorum primus cõpoſuit librum, de laudibus beatę Virginis, & dicitur Mariale, & claruit an. 1226. ſecũdus verò cõpoſuit officiũ B. Dominici patris noſtri. Legẽdam quoque illius compilauit. Claruit circa annũ 1262.

Ioannes etiam duos Teutones video quaſi de re ſeria conferẽtes, & ne eorum dulcia interrumpam colloquia, etiã eos hîc ſimul diſponere æquũ duxi. Vnus eorum dicitur frater Ioannes de Herdoch, alter frater Ioannes de Vribirgo, viri ambo vitæ ſinceræ, doctrinæ probatæ & ſpectatiſſimæ, ideoque in conſeſſu grauiſſimorũ locãdi, horũ prim⁹ ſcripſit ſuper Geneſim, & ſuper plures alios bibliorũ libros. Qui autẽ de Vribirgo dicitur, ſcipſit

Summam valde notabilem, de caſibus conſciëtię. Confeſſionale etiam, pro audientia cõfeſſionum. Claruiſſe feruntur ambo circa annum 1262.

Frater Ioannes Romanus & frater Ioannes de Lampugnano, viri ſtudiis deditiſſimi & ſpectabiles: & ille in Symbolum huc ingreſſurus confert ſpeculum quoddam hiſtoriale quod compilauit ad inſtar ſpeculi Vincentij Beluacenſis, hic verò vt latratus aſſiduos, quos pro cuſtodia vineæ Domini emiſit viuens & nunc emittit ſermonibus variis in poſterorum gratiam ſcripto mandatis, etiam ius ſibi vendicat, vt inter eos qui multos erudiere, mãſionem habeat. Claruere anno 1262. Nec iſtis eſt inferior meritis aut antiquitate minor frater Ioannes de Moueta natione Teutonicus, quinimò & iuris canonici peritia illos excellit: & eſt ſplendidis virtutum ornamentis decoratus, qui ſcripſit *

Frater Ioannes de Oppreno Mediolanenſis, vir ingenio ſingularis, in diſputatiua Theologia abũdè verſatus, & in ſacris euoluendis libris multùm diligens, Euangeliſtes quoque inſignis, ſcripſit Serm. de tempore per totum annum. Serm. de Sanctis per totum annum. Serm. de beata Virgine. Serm. pro mortuis. Claruit anno 1262. *P. P. mon. ord.*

Frater Ioannes de Bromiard, natione Anglus, vir pręclaro ingenio pręditus, in Philoſophicis excellenter doctus, Theologus cõſummatus, & verbi Dei declamator egregius, & in quouis diſciplinarum genere vocem habiturus, ſcripſit pro concionatoribus volumen vtile, quod vocauit. Summam prædicantium. Summam iuris naturalis.



*Collationes eiuſdem.*
*Alium lib. qui dicitur, Regiſtrum eiuſdem.*
*Alium qui dicitur Perſuaſiones eiuſdem.*
*Tractatum iuris eiuſdem.*
*Serm. de tempore & de ſanctis per totum annum.*

Claruit authori supplem. Chronic. anno Domini 1406. Sed miror quomodo id verũ eſſe poſſit. Si non falluntur qui Chronica noſtri ord. ſcribentes noſtri ord. fratres, eum ad primum ſæculum, quo ordo noſter durauit, referunt.

Frater Ioannes de Vercellis, doctor Pariſienſis, qui fuit primò prouinciæ Lombardiæ prouincialis, poſteà generalis Magiſter ord. factus, 6. in ſerie, at eo munere fungens per 20. aut circiter annos, totũ ferè ordinem viſitando, prudentiſſimè rexit, vir fuit prudentiæ perraræ, doctrinæ eximiæ, ac regularis vitæ obſeruantiſſimus, & ſædulus D. patris noſtri Dominici veſtigiorum ſectator: ob quæ interdum fuit à ſummis Pontificibus miſſus ad legationes aliquas pro Eccleſia abeundum. Sũt quoque qui ſcribant, illum ſub finem vitæ ſuæ, cùm foret vltra montes, fuiſſe electum in ſummum Pontificem. Sed antequàm id illi innoteſceret, fuiſſe illum viuis exemtum. Scipſit, (vt in ſuo Chron. dicit frater Alb. Venet.) Sermones varios ad clerum. Sermones alios complures. Epiſtolas exhortatorias ad omnes ord. fratres. Obiit anno 1283.

Frater Ioãnes Columna Romanus, noſtri ord. in prouincia Rom. primò moderator, & poſteà Archiepiſcopus Meſſanenſis factus, vir fuit vt ſanguinis nobilitate, ſic quoque ingenio & doctrina clarus, & multi iuga ſcientiarum cognitione præ-

cellens, & virtutum ferè omnium magnitudine inſignis, ſcripſit librum quem vocauit Mare hiſtoriarum, qui in 10. lib. diſtribuitur. Scripſit etiam lib. De viris illuſtribus, vt refert Leand. lib. 4. Scripſit etiam epiſtolas varias ad diuerſos. Author ſupplé. Chron. dicit eum claruiſſe anno 1313. P. P. *mon. ord. & 4.*

Frater Ioãnes, nomine & re Teutonicus, patria Friburgenſis, vir fuit candidis moribus formatus, in Theologia ſolidè doctus, & in iure Canonico benè verſatus, diuini autem verbi concionator facundus & fructuoſus. Qui dum ſemel Bononiæ in vſurarum crimẽ inueheretur, adeò prædicatione illius fuit commotus omnis populus & incenſus, vt vſurarium quendam publicũ nomine Landulphum è ciuitate mox cum clamoribus eiiceret, & lapidibus impeterent, dicendo, Pereat Landulphus, & eius domus tota. Scripſit autem Sũmam notabilem in libros. 5. diſtributam. Scripſit etiam ſuper 4. libros ſentent. Totum etiam Decretum gloſſauit. Scripſit & varias epiſtolas exhortatorias ad vniuerſos fratres ordinis. Claruit anno 1250. P. P. *mon. ord. Tritem & Leand. lib.* 4.

Frater Ioannes Pariſienſis, magiſter in Theol. vir ingenioſus tam ſæcularis, quàm diuinæ Philoſophiæ ſingulariter peritus, & D. Thomæ doctrinæ expertiſſimus, & defenſor inſignis, ideoque famæ celebritate conſpicuus, ſcripſit ſuper. 4. libros ſentent. Quodlibeta aliquot. Librum de vnitate formarum. Librum contra Henricum à Gãdauo. Claruit anno Domini 1294. *Alb. Ven.*

Frater Ioannes de Cambico, & alter qui Pungens aſinum cognominatur, magiſter in Theol.



præſtò ſunt, vt ſuas manſiones accipiãt in hac noſtra Bibliotheca & ſi eorum requirantur merita, vt ſecundum ea fiat diſtributio manſionum, ſunt viri egregij, humanis literis benè exculti, & in diuinis non vulgariter, ac multùm venerandi. Eorum primus compoſuit librum de Deliciis Paradiſi, in tres partes diſtinctum. Librum alium de culpa & gratia, & nonnulla alia. Secundus verò librum de Vnitate formæ. Librum de principio indiuiduationis, & ſuper 4. libros ſententiarum Claruerunt verò circa annum 1295.

Frater Ioannes Frihitoris, magiſter in Theol. Pariſienſis, commentaria ſecum ferens ſuper 4. libros ſentent. & ſermones varios, huc properat. Et eum ſequitur frater Ioannes de Maliaco, cum ſua Chronica hiſtoriali, & his cõiungitur frater Ioannes Broniardus iuris Pontificij & Cæſarei haud ignarus, cum vno lib. Moralizationum vtriuſque iuris per alphabetum. Omnes 3. viri multam venerandi, & vitæ probitate conſpicui, ac doctrina clarui, qui omnes claruiſſe dicuntur circa annum 1290.

Frater Ioannes Tortocollo, Magiſter in Theol. vir in Philoſophia comparandus cum magnis, qui in Theologica doctrina etiam eruditiſſimis non cederet, aut cum illis congredi timeret, & vti in deffẽſanda D. Thomę doctrina induſtrius, ſic & in refellendo contraditiones illius ſatis dexter & felix, & ideò dignus cuius laudes doctiſſimi quique prædicent & decantent, ſcripſit ſuper 4. libros ſentent. contra Henricnm à Candauo. Quodlibeta varia. Claruit circa annum 1300.

Frater Ioannes Pariſienſis, doctor Theologus præclarus, qui & in eadem vniuerſitate profeſſorem egit Theologiæ per multos annos, vir ingenij acrimonia multa & memoriæ tenacitate donatus, in Ariſt. doctrina plenè inſtructus, in quæſtionibus verò ſcholaſticorum proponendis & reſoluẽdis plurimùm dexter, & multis laudum carminibus efferendus meritò, poſteritatem ſibi deuicit, ſcribendo Super 4. lib. ſententiarum.

*Scripſit & contra corruptorium D. Tho.*
*Super lib. Meteororum Ariſtotelis.*
*Tract. de tranſubſtantiatione panis & vini.*
*Quodlibeta varia.*
*Librum 1. de vnitate eſſe & eſſentiæ diuinæ.*
*Librum vnum de aduentu Antichriſti.*
*Contra Henricum à Gandauo.*

Tract. etiam de Iride. Claruit anno 1300. aut circiter.

Frater Ioannes Biblia Bononienſis, vir nullo non laudum genere afficiendus, & propter ingenij præſtātiam & multigenæ doctrinæ, itaq; multa veneratione dignus, ſcripſit volumen magnum Quodlibetorum, quod in 28. Quodlibeta diſtinxit, Quodlibeta verò ſingula per quæſtiones & articulos. Sermones ad clerum. Collationes etiam breues, quas habuit in communionibus fratrum. Claruit anno *

Frater Ioannes de Neapoli Siculus, magiſter in Theol. & regens aliquando ſtudij noſtri Neapolitani, vir & in Philoſophia & in Theologia conſummatus, & in ſacris literis plenè eruditus, cui debitam laudem præripient qui inficias ire voluerint, eum ſuis præclaris operibus immortalitatem



nominis apud poſteros non meruiſſe. Scripſit autem. Quodlibeta tredecim, quæ vno magno volumine & in fol. manu ſcripta characteribus ſatis antiquis vidi Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici, in Bibliotheca communi.

*Super 4. libros ſentent.*
*Serm. de tempore & de Sanctis, per totum annum.*
*Quæſt. complures Theol. cum ſuis determinationibus.*
*Sermones de Mortuis.*

Volumen magnum horum ſermonum habetur Neapoli manu ſcriptum in prædicto conuẽtu noſtro. Claruit anno 1317. P. P. *mon. ord.*

Ioannes tres natione Itali ſimul colloquentes veniunt, & quantum coniicio libenter accipient, quòd eos vnà & eadem ſimul excipiat manſio. Vnus eorum Fauẽtinus cognominatur, alter Parmenſis, tertius de Piſtorio: omnes tres viri doctrina ſpectatiſſimi. Et primo loco numeratus, librum compoſuit, de Præſcientia & prouidentia Dei, & nonnulla alia opera. Secundus verò, qui & Magiſter eſt in Theol. Pariſienſis, doctiſſimus, volumen magnum etiam conſcripſit, cuius principium eſt, Quæritur quomodo eſſentia. Tertio verò loco poſitus (teſte Alb. Ven. dum agit de 6. Magiſtro generali ord.) ſermones pulchros. Me autẽ fugit, num is tertius ſit ille cuius fit mentio in additione ad 31. librum Speculi hiſtor. Vincentij Beluatenſis, de quo dicitur ibidem, quòd claruit anno 1440. & quòd magno ſpiritu prædicauit miracula B. Vincentij. P. P. *mon. ord. Alb. Ven.*

Frater Ioannes Caroli Florentinus, vir ingenio ſubtili, ſermone nitidus & in politioribus literis

abundè tritus, & in diuinis non infimè exercitatus, ſcripſit Vitas 7. inſignium Patrum noſtri conuentus Florentini, ſcilicet B. Ioannis Salernitani, Aldobrãdini, Calnagantes: Simonis Saltarelli, Angeli Aciagoli, Alexij Strotij, Guidonis Regiolani, & Ioãnis Dominici Cardinalis, Harũ aliquæ habẽtur apud Leãdrũ Bononiẽſẽ, in ſuo lib. de viris illuſtr.

Frater Ioannes Teutonicus, lector Friburgẽſis, vir in philoſophia ſęculari eruditus, & opulentiſſima doctrinæ ſupellectile inſtructus, ſcripſit ſuper ſummam Raimũdi & apparatum, quæ ad declarationem vtriuſq; textus erant opportuna, & tabulam vnã. Verificationẽ quoq; ſeu declarationẽ pluriũ quæ in ea ſumma & gloſſis habẽtur. Compilauit etiam ſummam confeſſorum, quæ Ioannina dicitur ex Raimundo, Oſtienſi, Innocentio, & alijs, quæ diuiditur in quatuor libros, &c. & fuit impreſſa diuerſis vicibus, vt Norimbergæ, & Lugduni anno 1518. Scripſit etiam lib. de quæſtionibus caſualibus. Confeſſionale etiam quo inſtruit, de modo ſeruando in confeſſionibus, tam ex parte confeſſoris, quàm confitentium. Obijt Friburgi, anno 1313.

Frater Ioannes Pichardi de Luzemburgis, natione Teuto, qui fuit Ratiſponenſis eccleſiæ Præſul, vir magni iudicij, religionis paris, nec minoris doctrinæ, vel facundiæ, ſcripſit ſummam Theologiæ, quæ citatur in illo libro recollecto ex ſententijs patrum ad probandum Cõcept. B. Virginis, & creditur eſſe Bandelli. Sermones etiã Quadrageſimales & dominicales. Sermones de Sanctis per totum annum. Anno 1310. fuit promotus Pariſijs ad gradum Licentiarũ. *P. P. mon ord. Leand. lib. 3.*



Frater Ioannes Ruſſim, natione Teuto, qui fuit eiuſdem prouincię Teutoniæ, aliquando moderator, vir nec Ariſtotelicæ doctrinæ ignarus, nec humanarum literarum, in Scholaſtica autem doctrina & in diuinis libris plenè eruditus, itaque apud celebres viros ſui temporis, multis celebrabatur encomijs, ſcripſit commentaria ſuper lihtos ſentent. Super epiſtolam Pauli ad Titum. Super 15. capita priora Matthæi. Directoriũ Confeſſorum. Serm. multos ad Clerum, de tempore. Serm. de Sanctis, per totum annum. Claruit circa annum 1312.

Frater Ioannes Taulerus natione Teuto, ex conuentu noſtro Coloniẽſi, vir cùm pietate, tum doctrina inſignis fuiſſe dicitur Theologus profũdus, & in diuinis ſcripturis exercitatus, ſcripſit librum de paſſione Domini deuotiſſimum ex quatuor Euangeliſtis collectum. Lib. j. ſermonum in varia loca euangeliorum. Serm. valde vtiles de internæ vitæ dulcedine. Sermones de tempore & de Sanctis. Epiſtolas varias ſpiritu deuotionis plenas. Tract. de Virtutibus. Plagas autem & hæreſes contra ſacramenta & dogmata fidei orituras prædixiſſe fertur. Multa quoque alia ſcripſit. Claruit Coloniæ, anno 1350. *Ex addit. ſecunda ad Tritem.*

*Quoniam aliquãdo Echius, vir omni pietate ac doctrina præditus, ac fidei Catholicæ propugnator ſtrenuus, Taulerum inſimulauit, eum ſomniatorem vocans & de illo inquiens, vtinã Taulerus omnino lateret, & non inuolaret in monaſteria, videtur nonnulli librorũ quos edidit, lectionẽ habere ſuſpectam,*

*imò & ipſum authorem nonnihil, quoniam illius, etiam aliquot ſententiis vtens Lutherus, ſua peruerſa dogmata per eas firmare nititur, & eum non parum commendat. Attamen ſi alicubi forſan operum illius lectio prohibita ſit, tali prohibitioni nullatenus vllum præiudicium inferre volo, in his quæ ſubiungam. Eſt enim illi omnino & per omnia parendum, & abſtinendum à lectione eorum, quæ legi Eccleſia prohibet, aut ab ea legitimam poteſtatem habentes interdicunt. Vbi autem huiuſmodi prohibitio ceſſat, non piget in præfati noſtri Tauleri excuſationem vel laudem ſubiungere quam pro illo facit Apologiam. Reuerendus ac religione præſtans, pius pariter & doctus, frater Laurentius Surius Carthuſianus, vir ſanè de Republ. Chriſtiana optimè meritus, Qui & opera eius nonnihil elimens, docet ipſum Taulerum Catholicæ fidei cultorem fuiſſe integerrimum, & quòd ea quæ ſcripſit, ſana ac planè diuina ſunt, niſi forſan alicubi circunferantur, corrupta, & ab hæreticis vitiata. Et dicit inter alia pro Taulero contra Echium. Vtinam Taulerus vbique gentium cognitus, & in omnia monaſteria receptus eſſet: & ab omnibus diligenter legeretur! &c. Et addit, quòd Echius minùs circunſpectè Taulerum damnauit, & à ſe nondum ſatis diligenter lectum: quod tamen non maliciosè fecit, ſed ex ardore animi, & fidei Zelo, quo contra Lutherum hæreſiarcham inuehebatur: dolens, quòd ipſius Tauleri ſententiis vteretur Lutherus, vel potiùs abuteretur. Sed quid mirum hoc, inquit Surius, cùm etiam ille & ſimili farinæ homines nefarij ſcripturæ ſacræ & Sanctorum Patrum dictis abutantur paſſim, & ea omnia in prauum ſenſum retorqueant? Vt enim Hilarius pulchrè dixit, de intelligentia hæreſis, non de ſcriptura eſt, ſenſus, non ſermo ſit crimen. Fieri etiam poteſt, vt Echius exemplaribus Tauleri ab hæreticis vitiatis vſus fuerit. Vnde forſan motus fuit, vt illum carperet.*

*Hos ſermones Tauleri cũ hac Surij pro illo Apologia impreßit Lugduni Sebaſtianus de Honoratis, anno 1557.*



Frater Ioannes Harlei, Anglus natione, magiſter in Theolog. vir cui ſanè non modica irrogabitur iniuria, niſi inter religione & doctrina claros concedatur locus, & etiam publicis encomiis eius prædicentur virtutes. Nam illo quis ſuo tempore theologus præſtantior fuit? Scripſit Bina cõmentaria ſuper 4. lib. ſentent. Tractatum de Prædeſtinatione Dei. Quodlibeta plura. Claruit an. 1514.

Frater Ioannes Francfordienſis, vir eruditus & meritò venerandus, & frater Ioannes Ecdebergenſis, magiſter in Theologia inſignis, & in diuinorum librorum lectione valdè exercitatus, ſolùm apud eos qui illorum præclara non nouerint merita, erunt ignobiles. Hic enim ſuper omnes Bibliorum libros poſtillas & lecturas ſolennes ſcripſiſſe proditur, & etiam ſuper 4. libros ſentent. Ille autem commentaria ſuper Iob. Sermones vtiliſſimos de tempore & de Sãctis. Sermones etiam Quadrageſimales. Claruit circa annum Domini 1440. *P. P. mon. ord.*

Frater Ioannes de Tambacho (aliis de Zambacho) natione Teuto, patria aut cognomine ſaltem Argentinenſis, magiſter in Teolog. vir famæ celebritate etiã abſentibus notus, & dignus quem

doctiſſimus quiſque laudibus cohoneſtare geſtiat, & debeat, ob religionis & doctrinæ præſtantiam. Is primus fuit regẽs noſtri ſtudij Pragenſis in prouincia Bohemiæ,& eruditionis ſuæ ſpecimẽ fecit poſteris in illis operibus quæ ad eos tranſmiſit. Scripſit enim volumen magnum in librum 15. diuiſum, quod vocauit Conſolationem Theologiæ, fuit impreſſum Leridæ.

*Librum, de culpa & gratia.*
*Alium de amore virtutum.*
*Alium, de beatitudine.*
*Alium de ſimonia clauſtralium.*
*Alium de ingrato commo. ſacerdotum.*
*Alium de proprietate mendicantium.*
*Directorium Confeſſorum.*
*Librum de Quarta, & eius moderatione.*
*Alium de priuilegiis exemptorum circa interdictum.*
*Alium de identitate indulgentiarum.*
*Alium de reemptionibus.*
*Alium de ſenſibilibus deliciis Paradiſi.*
*Alium de præconijs S. Ioannis Euangeliſtæ.*
*Sermones varios.*

Multa alia ſcripſiſſe dicitur. Claruit circa annum 1320. *P.P. mon.ord & Tritem.*

Frater Ioannes Chriſtophori, natione Teuto, patria aut cognomine Mindenſis, vir ingenio perſpicax, eloquio clarus, diſciplinarum multarum magnitudine præſtans, in Ariſtot. & Scholaſtica doctrina abundè inſtructus, & in ſacris non infimè doctus. Scripſit autem in poſteritatis gratiam,

*Poſtillas*

*Super Matthæum.* *Super Marcum.*



*Super Lucam.* *In vtranque ad Timoth.*
*Super Ioannem.* *In epiſt. ad Titum.*
*Super Epiſt. ad Rom.* *Super epiſt. ad Philem.*
*In vtranque ad Corinth.* *Super epiſt. ad Hebr.*
*Super epiſt. ad Galat.* *Super Canon. Iacobi.*
*Super epiſt. ad Epheſ.* *Super Canon. D. Petri.*
*In epiſt. ad Philipp.* *Super Canon. Ioannis.*
*In epiſt. ad Coloſſenſ.* *Super Canon. Iudæ.*
*In vtranque ad Theſ.* *Super 4. lib. ſentent.*
*Super lib. Elench. Ariſtot.*
*Super librum de Anima Ariſtot.*

Plura alia ſcripto mandaſſe literarum monumentis proditum lego. Claruit Tritemio, anno 1160. Supplem. Chronic. authori, anno 1285. Sixto Senenſi in ſua Biblioth. anno 1240.

Et licet fieri poteſt, vt in rigore loquendi, omnes illi verum fari poſſint in hoc, ſi tempora omnia quibus eius celebre nomen durauit, diſtinguantur, in primum quo clarere cœpit, in mediũ, & poſtremum: Tamen ſupplementi Chronicorum authoris ſententiæ magis ſtandum arbitror.

Frater Ioannes Suilkilfrans, vir fama & eruditione ſpectabilis, ſtudiorum peruigil & aſſiduus cultor, & multis meritis venerandus, ſcripſit tractatum non aſpernandum, ſecundum ordinem alphabeti, vſque ad literam M, qui inſcribitur,

*De practica veritate.*
*Poſtillas ſuper Iob.*
*Poſtillas ſuper canon. Iacobi.*
*Super canon. Petri.*
*Super canonicas D. Ioannis.*
*Super canonicam Iudæ*

*Serm. Dominicales ſuper epiſt. & Euang.*

*Serm. de Sanctis.*

Claruit circa annum 1355. *Alb. Ven.*

Frater Ioãnes Cacheng, Friburgenſis, vir quem multùm commendat exercitium in ſcholaſtica doctrina, & in diuinarum ſcripturarum lectione aſſidua etiam poſteris commendabilem efficiunt quæ ſcripſit.

*Commentaria ſuper epiſt. ad Rom.*

*Tractatus de Quarta.*

*Tractatus de contractibus.*

Claruit circa annum 1355.

Frater Ioãnes de Caluiſiano, vir pius neq; ineruditus, collegit ex Sanctis patribus & ex multis aliis, quorum eſt vſus in Eccleſia, librum vnum precum piarum, quem manu ſcriptum characteribus antiquitatem viri multùm commoſtrãtibus, vidi Neapoli in conuentu noſtro S. Catharinæ à Formello, mihi conceſſum ad horas aliquot.

Frater Ioannes de Fontana Placentinus, vir religione ſpectabilis, doctrina eximius, & frater Ioãnes Berolis, magiſter in Theol. vir non contemnendæ doctrinæ, & eo etiam ampliùs commendandus, quòd malens multos erudire & ex diſcipulis præclaros magiſtros efficere, & expertos reddere Dei verbi concionatores, quàm paucis doctis ſeipſum prodere, illis proportionata ſcribendo, & ſuam accommadare doctrinam in illorum gratiam, ſcripſit Sermones, qui dicuntur Diſcipuli. Plura eius non vidi. Claruit anno 1470. Primus verò librum compoſuit, in quo multa moralia complexus eſt, & eſt liber ad inſtar ſpeculi hiſtorialis Vincẽtij Beluacenſis. Et claruiſſe memoratur, anno domini 1420. *Alb. Ven.*



Frater Ioannes Balbus Genuenſis, vir linguæ Latinę & Græcæ benè peritus, diuinarum quoque literarum non ignarus, ſcripſit poſtillas,

| | |
|---|---|
| *Super Matthæum.* | *Super Lucam.* |
| *Super Marcum.* | *Super Ioannem.* |

Prædictas poſtillas aſſerit Sixtus Senenſis in ſua Biblioth. haberi manu ſcriptas in conuentu noſtro Genuenſi.

*Librum quæſtionum Theologarum animæ ad ſpiritũ.*

*Tract. etiam vel librũ ad inueniendum feſta mobilia.*

Dictionarium quoque quod vocauit Catholicon, id eſt, vniuerſale. Claruit anno domini 1280.

Frater Ioannes Stokes Sudbenienſis, vir geminabonitate præditus, & morum honeſtate conſpicuus, & doctrina non ignobilis, ſcripſit pro noſtri ord. dignitate, contra quoſdam Patres Carmelitas librum vnum. Librum alium ad rationes Hornebij. Vixit anno 1370. *Epit. Geſn.*

Frater Ioannes de Raguſio, vir eloquens, nec mediocriter doctus, & declamator inſignis & cultiorum morum varia honeſtate cõpoſitus, ſcripſit Librum 1. contra Huſſitas ad Patres Concilij Baſilienſis. Plura eius ad meam notitiam non venere. Claruit anno 1438.

Frater Ioãnes de Sancto Geminieno, vir de litteris benè meritus, plurimarum rerum notitia illuſtris, in Theologia Scholaſtica, & in ſacris litteris non mediocriter peritus, & concionator egregius, ſcripſit. Opus inſigne de exemplis & ſimilitudinibus rerum, duobus magnis voluminibus in folio quæ fuerunt impreſſa Venetijs anno. 1499.

*Librum vnum ſerm. de tempore.*

*Alium ſermon. de Sanctis.*

*Lib. vnum Collationum diuerſarum.*

*Sermones de opere 6. dierum.*

Sermonum funebrium lib. 1. & fuit impreſſus in 4. Lugduni, anno 1510. Sermones duos notabiles in Paraſceue Domini, per modum dialogi inter Chriſtum & latronem, Caim & Abel. Et alium in vigilia Paſchæ: & habentur inſerti inter ſermones Golſcalchi, ord. fratrum Eremit S. Auguſtini. Claruit anno 1310.

Frater Ioannes de Verdiaco, ſacræ Theol. bacchalaure9, eruditus, & diuinarum ſcripturarũ valde ſtudioſus, & virtutum tam intellectum, quàm appetitum perficientium, non modica ſupellectile instructus, ſcripſit ſuper plures Bibliorum libros. Citaturque ille ſuper Cantica in illo recollecto libro ex patrum ſententiis, ad probandum Conceptionem B. Virginis, qui creditur eſſe à Bandello, compoſitus. Claruit anno *

Frater Ioannes de Sternageſtem, natione Germanus, vir ſuo tempore clari nominis ob cognitionem multarum rerum, & eximia quæ poſteris reliquit ſui ingenij monumenta, ſcripſit autem

*Super librum Sapientiæ.*

*Super Pſalterium.*

*Super 4. lib. ſentent.*

Quæſtiones in totam Philoſophiã naturalem, Serm. de tempore & de Sanctis. Quæſt. in librum de bona Fortuna. Et multa alia. Claruit anno *

*Leand. lib. 4.*

Frater Ioãnes de Turre-Cremata, natione Hiſpanus, vir claro ingenio præditus, moribus grauis, in rebus agendis prudens & valdè dexter, ſæcularis Philoſophiæ benè peritus, in Theologica doctrina & iuris Pontificij cognitione excellẽter doctus, & omnis generis diſciplinarũ notitia excultus, vnde ſub Eugenio 4. fuit Cardinalium cœtui aggregatus. ſcripſit Super totum Decretum Gratiani, quatuor volumina magna & multæ eruditionis, in quibus tanquam Theologus & Canoniſta materias diſcurit & pertractat. Et fuerunt impreſſa Lugduni. ſcripſit etiam ſummam de Eccleſia doctiſſimã, in qua multa diſputat & egregiè. Lib. 1. quæſt. ſuper Euangelia Dominicalia ad Arſenium. Super Euangelia de Sanctis, quæſtiones. Super Pſalmos etiam ſcripſit. Compoſuit etiam librum de Conceptione B. Virginis, ex mandato Patrum Concilij Baſilienſis, qui fuit Romæ impreſſus in 4. anno Domini 1547. & diſtinguitur in 13. partes. Scripſit etiam ſuper regulã D. Benedicti.

*Lib. 1. de aqua Benedicta.*

*Lib. 1. de ſalute animæ.*

*Serm. de tempore.*

*De corpore Chriſti contra Bohemos, lib. 1.*

*Meditationes de vita Chriſti.*

*Serm. de Sanctis.*

Compoſuit etiam opus magnum contra ſtatuta aliquot Eccleſiarum, quibus arcentur ab earum collegijs qui ex ſtripe Iudaica deſcendunt & illud inſcripſit contra Iſmaëlitas noſtri temporis. Habetur Valliſocleti manu ſcriptum in noſtro collegio, prout grauium aliquot patrum relatione didici. Ex eo forſan quòd hic ſecundus pater tale opus compoſuit, quo illarũ Eccleſiarũ leges, quibus à Iudæorum ſtirpe trahentes originẽ arcentur

ab illarum collegiis, dicitur contendere iniuſtas eſſe, in eo ſuo ſenſu abundans, putant aliqui notum fuiſſe patrem fratrem Ioannem de Cruce ad inſinuandum in ſuo Chronico ord. quod compoſuit, quòd ille fuerit de eorundem genere quaſi ideò illis in eo opere patrocinari voluerit, cùm tamen id falſum eſſe, & eundem Ioãnem de Turre Cremata nobili fuiſſe ſtẽmate ortum, audiuerim aliquos Hiſpanos viros graues conſtanter affirmantes. Scripſiſſe etiam dicitur ſuper Decretum Concilij Florentini, de Sacrament. & de vnione Græcorum, &c. Et illud etiam in prænominato noſtro collegio ſeruari, & etiam expoſitionem quam fecit regulæ S. Brigidæ, mihi retulit reuerendus admodum pater Magiſter, & mihi ſemper obſeruãdus pater, frater Hieronymus Almonocirius Regẽs eximius & eruditiſſimus noſtri Collegij Complutenſis. Hic reuerendus pater ac Dominus, de Turre-Cremata (vt dicitur in libro illo Bãdelli de Concep. B. Virginis recollecto ex patrum ſententiis) ob excellentiam doctrinæ ſuæ, & zelum ferventiſſimum fidei, quibus fuit ornatus, fuit à Papa Pio 2. factus vniuerſalis protector fidei. Primus fuit qui talis dignitatis titulo decoratus legitur, neque vllus alius ad hæc noſtra vſque tempora tali titulo legitur donatus. Obiit anno 1468.

Frater Ioannes Annius natione Italus, patria Viterbienſis, doctor Theologus clariſſimus, qui fuit magiſter ſacri Palatij, diuinarum ſcripturarum ſtudioſiſſimus, hiſtoriarum verò omnium & rerum antiquarum ſedulus admodum indagator, & indefeſſus, ſcripſit commẽtaria præclara. In Beroſum Babylonium, Metaſnẽ Perſam, & Menethonem Ægyptium, & in plures alios vetuſtos Hiſtoriographos, quorum ipſemet meminit, dũ Chronographiam Philonis exponit. Edidit etiam lib. 1. quæſtionum in Apocal. quem Sixto 4. Pontifici ſummo, cæteriſque Eccleſiæ Principibus dicauit, vel miſit, oſtendens in illo eam beſtiam cuius fit mentio in Apocal cap. 13. quam eſſe Antichriſtum patres cõmuniter interpretantur, eſſe Pſeudoprophetam Mahumetem cũ ſua ſecta. Scripſit etiam Quodlibeta aliquot de dignitate officij magiſtri ſacri Palatij. Scripſit etiam librum antiquitatum. Claruit anno 1460. *Sixtus Senenſ. in ſua Biblioth.*



Frater Ioannes Nidex, natione Sueuus, magiſter in Theol. eruditiſſimus, verum fuiſſe ſpeculũ obſeruantiæ regularis, & ſcientiarum omnium promptuarium vberrimum & nobiliſſimum memoratur, quantæ autem fuerit & eruditionis, & dicendo vbertatis, quàm eloquens, doctus, & concionator excellens, apertè demonſtrat in his quæ trãſmiſit ad poſteros. Scripſit Præceptorium diuinæ legis.

*Tractatum de contractibus mercatorum.*
*Alium de ſæcularium religionibus.*
*Alium de abſtinentia eſus carnium.*
*Alium de reformatione ſtatus cœnobili:*
*Conſolatorium timoratæ conſcientiæ.*
*Sermones Quadrageſimales.*
*Tract. de vigore conſuetudinis, & diſpẽſatione Canonica.*
*Tract. de perfecta paupertate.*
*Alium de lepra morali.*
*Alium de vera & falſa nobilit.*
*Alium de formicarum moralitat.*
*Dialogum ſtudioſi & pigri.*

*Speculum perfectionis.*

*Diſpoſitorium moriendi.*

*Serm. de tempore, & de Sanctis.*

Claruit anno 1455.

Frater Ioannes Falchembergius, natione Polonus, Philoſophus & Theologus eruditus, ſcripſit librum quendam in quo de Vvadiſlao rege Poloniæ nonnulla compoſuit, quæ nec in ipſius Regis, nec etiam ſuæ gentis Polonicæ gloriam erant, & ideò pro illius præmio fuit à patribus Baſilienſis concilij coniectus in carcerem. Sed poſtmodum Nicolai 5. iuſſu leberatus, precibus Archiepiſcopi Gueſnenſis, primatis in regno Poloniȩ, qui librum viderat, &c. Claruit anno 1438. *Mart. Crom. lib. 8. de rebus Pol.*

Frater Ioannes de Monte nigro, vir felici ingenio & eminenti doctrina prȩditus, & in diſputando energiæ: maximæ Vnde à patribus Concilij Florent. ſub Eugenio 4. celebrati fuit delectus ad diſputationum congreſſus habendos cum Græcis. Et ob victoriam de illis reportatam, fuit magno in pretio habitus. Scripſit Tract. de Conceptione B. Virginis ad probandum Conceptionem B. Virginis Mariæ. & tam author, quàm tractatus citatur in illo libro recollecto ex patribus, qui Bãdello tribuitur. Plura eius ad meam non venere notitiam. Claruit anno 1436.

Frater Ioannes Dominici, natione Italus, patria Florentinus, vir fuit eruditionis eximiæ, miræ facundiæ, prudentiæ perraræ, & in diuinis ſcripturis & in humanis ſingulariter eruditus, & præco Dei excellentiſſimus. De quo (vt refert. D. Anton. 3. p. hiſt, tit. 23. cap. 11.) proditur quòd in nulla ſcientia habuit doctorem, ſed velut alter Auguſtinus, per ſe omnia dicit, & intellexit. Fuit autem factus Raguzinæ Eccleſiæ præſul, & demum Cardinalis creatus à Greg. 12. Scripſit autem,



*Lib. vnum in Eccleſiaſtem.*

*Lib. 1. in Cantica Canticorum.*

*In epiſt. ad Rom.*

*Itinerarium deuotionis.*

*Lib. 1. ſuper Mathæum.*

*Multa alia ſcripſiſſe fertur.*

*Lib. 1. qui prænotatur Lucula noctis.*

*Lib. 1. de amore charitatis.*

*Tract. 1. ſuper Magnificat.*

*Serm. Quadrageſimales.*

*Serm. etiam de Sanctis & feſtis.*

Scripſit etiam ſermone vulgari librum quem prænotauit amorem charitatis, & in eo declarat illud Pauli. 1. Corinth. 13. Si linguis hominum loquar, &c. per modum ſermonum 44. ſerm. in eo cõplectens. Hic pater fuit miſſus legatus in Hungariam, ad Sigiſmundum Imperatorem, an. 1418. & ibi obiit Budæ ſanctiſſimè, & miraculis claruit, vt D. Antoninus refert p. 3. hiſto. titu. 23. cap. 11. in fine.

Frater Ioannes Capreli ex Toloſana prouincia, vir ingenio præſtans, memoriæ tenacis, doctrinæ eminentis, & in D. Thom. libris admodum verſatus, & profundiſſimè doctus, ſcripſit ſuper 4. lib. ſentent. commentaria eruditiſſima & exacta, quibus D. Thomæ doctrinam ſolidè explicat & defendit ab impugnatoribus. Sunt 4. volumina in folio. Scripſit etiam ſermones varios. Et multa a-

lia. Claruit anno 1424.

Frater Ioannes de Hibernia, magiſter in Theol. & frater Ioannes Iunior, viri non obſcuri nominis, neque cõtemnendæ eruditionis, multùm huc properant, & primus librum fert ſecum cui titulus eſt, Manipulus Florum. In eo enim ex omnibus ſacris authoribus optimorum quorũcunque Flores elegit, ad omnes materias conuenientes. Liber eſt in fol. impreſſus Placentiæ, anno 1483. Hic verò etiã ſecum habet librum, quem vocauit, Scalam Dei, ſiue cæli, quaſi per ea quæ habet in illo conſcendatur ad Deum, quem dicauit Reuerendiſſimo. Domino Hugoni Aquẽſis Eccleſiæ Præpoſito. Lib. fuit impreſſus Vlmæ, anno 1480.

Frater Ioannes Aquilanus, & frater Daniel Vicentin⁹, viri vt profeſſione, ſic & fraterna charitate coniuncti, & zelo animarũ feruentes, & etiam eruditi, ſimul compilarunt ſermones de tempore & de Sanctis, qui dicuntur, Lima vitiorum. Et liber fuit impreſſus Venetiis, anno Domini 1499.

Frater Ioannes de Sancto Miniate, Etruſcus natione, orator exactiſſimus, doctrina & ingenio clarus, ac memoria felici ornatus, quędã opuſcula cõpoſuiſſe dicitur, quæ habẽtur in cœnobio Caſalenſi. Cui ſocius ſit frater Ioãnes de Neapoli, vir pius & deuotus, qui B. Catharinæ Senenſis præconia in librum vnum redegit. Claruit circa annum 1460. *Leand. lib. 4. & Alb. Ven.*

Fr. Ioãnes Cono, Normbergẽſis patria, natione Germanus, vir in humanioribus litteris doctus, in Gręcis pręſertim peritiſſimus, & in aliis nõ inerudit⁹, cùm D. Hieronymi opera primò Baſileæ imprimerentur, Græca addidit. Multa vertit ex Græca lingua in Latinam Gregorij Nazianzeni & Greg. Nyſſeni. Baſilij quoque magnum lib. de differentia Huſiæ & Hypoſtaſis. Librum etiam de homine Gregorij Nyſſeni. Claruit anno * *Ex addit. ſecunda ad Tritem.*



Frater Ioannes Copez, vel Lupius, Salmaticenſis, natione Hiſpanus, qui fuit quaſi contemporaneus B. Vincentij Valentini, noſtri ord. vir grauis, neque ineruditus, ad petitionem nobiliſſimæ Dominæ, D. Elionoræ de Pimentelio, Comitiſſæ Placentinæ, ſcripſit vitam eiuſdem S. Vincentij. Erátque idem pater Magiſter in Theol. Author huius eſt, frater Vincentius Iuſtinianus, in vita quam conſcripſit Hiſpanicè, eiuſdem Beati Vincentij.

Frater Ioannes Romberth Riſpenſis Colonienſis, vir bonarum literarum non ignarus, diuinarũ ſtudioſus, & vndequaque doctus, Quæſtiones Ioannis de Ianduno in 8. lib. Phyſic. Ariſt. multis in locis mutilas & mendoſas correxit. Triplicem quoque tabulam eidem operi adiecit: & opus dicauit D. Anton. de Fantis Taruino, &c. Fuitque liber impreſſus Venetiis, anno 1320.

Frater Ionnes Cattus, natione Siculus, patria Meſſanenſis, vir ingenio & memoria felix, dialecticus, philoſophus & Theologus præclarus, & in Matheſi ſcientia expertiſſimus, Qui & Florentiæ & Bononiæ, & Ferrariæ ære publico docuit, & litteras Græcas perdiſcendi auiditatę ductus, in Græciam profectus fuit, & per annos aliquot ibi manſit. Inde autem reuerſus Romam adijt, & Beſſarionis Cardinalis Niceni fauore, primò Aliẽ-

ſis Abbas, mox Cephaledenſis Epiſcopus factus eſt, ac demum Cathanenſis Eccleſiæ præſul in Sicilia. Extant orationes eius aliquæ coram Rom. Pont. habitæ, varia eruditione refertæ. Claruit circa annum 1464. Frater Thomas Fazellus lib. 2. de rebus Siculis, decade 2. author eſt huius.

Frater Ioannes Scandellandus, natione Teuto, magiſter in Theol. & hæreticorum Cenſor, ac demum factus epiſcopus, &c. quòd varia ſcripta reliquerit poſteris, ſcribit Leander Bononienſis lib. 3. cap. penult. Cui aſſociabimus meritò Teutonem alium, patria aut cognomine Baſilienſem, virum etiam eruditione clarum, in Græcis peritum, & in cæteris non obſcurum: & hic vocatur frater Ioannes Hundalrici, qui deprehendit errores non paucos in tranſlatione Theophylacti, facta ex Græca in Latinam à quodam non integræ fidei. Scripſit etiam commentaria Græca in epiſt. ad Hebræos. Obijt Colmariæ, anno domini 1576. *Ex addit. 2. ad Tritem.*

Frater Ioannes Tetzelius, natione Saxo, vir litteratura & moribus ornatus, concionator excellens, & hæreticæ prauitatis in Saxonia inquiſitor diligentiſſimus, atque fidei propugnator eximius, pro qua contra Lutherum varios habuit diſputationum congreſſus. Hic primus omnium obſeruationes ſeu articulos cẽtum & ſex aduerſus Lutheri antidogmata edidit, vt author eſt Pontanus lib. prim. rerum memorabiliũ, &c. plura alia ſcripſiſſe fertur quæ non vidi. Claruit anno 1520.

Frater Ioannes, natione Saxo, qui poſt beatum Dominicum patrem noſtrum fuit noſtri ord. generalis magiſter, an non iure optimo ſuccenſebit quòd eum hucuſque obliuioni traditum, poſt tot iuniorum innumeram turbam, nunc tandem recenſeam? præſertim cùm vir fuerit religione ac vitæ ſanctitate cõſpicuus, prædicatione feruidus, & ſalutis proximorum zelator maximus, & doctrina valdè celebris. Illius multa recenſentur encomia, in lib. qui dicitur, Vitę fratrum ord. prædic. Hic primus ex capitulis generalibus ad vniuerſos fratres ord. exhortatorias direxit epiſtolas, ad piè ſanctéque viuendum. Scripſit etiam

*Sermonum ad populum lib. j.*

*De inſtitutione ordinis, lib. j.*

*De tranſlatione B. Dominici, lib. j.*

*Super Priſcianum & quædam grammaticalia.*

*Poſtillam in Apocal. Poſtillam ſuper Lucam.*

Obiit anno 1236. aut ſequenti, dum in terram ſanctam nauigaret.

Frater Ioannes Maria de Toloſanis, vir non ſolùm vtriuſque philoſophiæ, ſcilicet ſæcularis & diuinæ, peritus, ſed etiam aliarum multarum rerum cognitione exornatus & præcellens, ſcripſit Librum emendationis temporum, de recta ſcilicet computatione illius ab orbe condito vſque ad Chriſti ortum. Breuem quoque fecit adnotationem Calendarij Romani, pro paſchate ritè celebrando, ad concilium Trid. eam dirigens. Pars horum habetur impreſſa Venetiis in 4. anno 1546. ſimul cum opuſculis Ioannis Lucidi Samothei, De emendationibus temporum.

Frater Ioannes Tabienſis, vir doctus, & in caſibus conſcientiæ enodandis & reſoluendis ſatis dexter, & in iure Canonico verſatus, ſcripſit ſummam de caſibus conſcientiæ, doctam & reſolu-

tam, quæ communiter ſumma Tabiena dicitur, eamque dicauit reuerendiſſimo Domino Caiet. iam tunc Cardinalium cœtui aſcripto. Plura eius non vidi. Claruit anno 1524.

Frater Ioannes Ludouicus Viualdus de Monteregali, vir præclaro ingenio præditus, & tam in humanis, quàm in diuinis litteris diu & vtiliter verſatus, qui & in doctiſſimorum quorumcunque conſeſſu conſpicuus monſtrabitur etiam publicis omnium præconiis celebrãdus ſcripſit opus eruditum, ex cuius lectione quiſque multùm afficietur & doctior recedet, neque immeritò theſaurus quidem dici poteſt optimarum in omni genere rerum, & illud inſcripſit, Opus Regale, in quo ſequentia continentur: Epiſtola conſolatoria, in qua optima tria remedia ad repellendum omnes cauſas triſtitiæ, ponuntur.

*Tractatus de officio pietatis in defunctos.*

*Alius de pugna partus ſenſitiuæ & intellectiuæ.*

*Epiſtola elegans ad Regem Bohemiæ.*

*Tractat. curioſus de laudibus ac triũphis triũ liliorũ.*

*Tract. de cognitione electarum à reprobis.*

*Tract. de magnificentia regis Salomonis.*

*Tract. de cauſa contritionis.*

*Liber hæc continens fuit diuerſis vicibus impreſſus. Compoſuit etiam tract. De veritate contritionis, in quo multa notabilia continentur. Eſt lib. in 8° fuit impreſſus Pariſiis anno 1519.* Claruit anno *

Frater Ioannes Placentinus Trudonenſis, vir doctus & in hiſtoriis euoluendis multùm exercitatus, ſcripſit Catalogum omniũ Antiſtitum Tungarorum, Traiectenſium & Leodienſium, & rerum præclarè geſtarum. Et pugnam porcorum



carmine complexus eſt aliquot paruis foliis, nullo vocabulo penitus in ea vtendo, niſi à littera p. inchoato.

Frater Ioannes Dietembergius, ſacræ Theol. profeſſor, natione Teuto & Francofordiæ in conuentu noſtro ad habitum ſuſceptus, vir fuit linguę Latinè & Hebraicæ peritus, & tam in Scholaſtica doctrina, quàm in ſacris litteris verſatus inſigniter, ſcripſit Poſtillam ſuper Euangelia totius anni.

*Opuſculum de faciendis votis & de eorum ſolutione.*

*Aliud de Apoſtaſia.*

*Vtrunque teſtamentum vertit in linguam Teutonicam.*

*Opuſculum de differentia præceptorum & conſiliorum.*

*Aliud confutationum aduerſus ſcripturarios Lutheranos.*

Hic author cum Luthero ſæpius habuit diſputationum congreſſus. Claruit anno 1520.

Frater Ioannes Viguerius Hiſpanus, natione Granatenſis, vir haud dubie eruditionis præclaræ, ſiue in Scholaſticis quæſtionibus, ſiue in ſacris, aut etiam in humanis litteris eum velis experiri, compilauit multo iudicio & labore & induſtria pari, ex ſumma Theol. D. Thomæ librum quem compendium illius dicere poſſumus, additis interdum ex ſuo, quæ ad magis confirmandum doctrinam talem teſtimoniis erant opportuna, tam ex conciliis, quàm ex Pontificum decretis. Opus iſtud prænotatur, Inſtitutiones Chriſtianæ, &c. & fuit diuerſis vicibus impreſſum. Scripſit etiam commentaria non contemnenda in epiſt. ad Romanos. Vixit anno. 1545.

Frater Ioannes Hentenius, natione Flander ex Gallica Brabantia, priùs fuit inſtituti D. Hieronymi, poſteà verò Louanium adiens ex Hiſpania vt parētes inuiſeret, ibi Louanij noſtræ religionis togam ſuſcepit, & iam tunc erat in illa Vniuerſitate in Theologia promotus ad gradum licentiarum. Noſtri ergo ord. factus alumnus, doctorali pileo fuit ibidem inſignitus. Vir ingenio acutus, in bonis litteris abunde inſtructus, in ſacris verò & ſanctorum Patrum lectione non modicum, in Scolaſticis concertationibus ſatis verſatus, vnde ſtudij noſtri Louaniēſis per plures annos egit regentem. Ex Græca in Latinam linguam vertit Euthymium ſuper Euangelia; & OEcumenium ſuper omnes D. Pauli epiſtolas. Vterque liber fuit impreſſus Louanij in fol.

Ex idiomate etiam Hiſpanico in Latinū vertit aliqua opuſcula pia & lectu digna. Ex mandato quoque Venerandæ meæ matris, facultatis Theologicæ Louanienſis, fuit cenſor ſupremus deſignatus ad nōtandum errores omnes qui in operibus Eraſmi continebantur reſperſi. Collationi etiam Bibliorum ad antiquiſſima exemplaria manu ſcripta, quæ fuit Louanij ſumma cum diligentia facta, ipſe quoque vt præeſſet (quippe qui vir erat optimi iudicij & in ſtudiis indefeſſus,) ab eadem facultate Theologica fuit deſignatus præcipuus. Biblia magna Roberti Stephani repurgauit, & labore nimio quem in hoc opere fecit, mortem ſibi accelerauit. Attamen quia tunc temporis dolor calculi quo vrgebatur ab annis aliquot, quaſi vicinæ mortis nuncius foret, multo magis cum premebat; nonnulla minùs attendere potuit & obſeruare. Et ideò quorūdam Theologorum opera etiam Louanienſium oportuit limā iterum ſubire quod ipſe minùs oculatus prætermiſerat in paucis. Cōmētaria quædam ſuccincta & erudita ſuper quatuor Euangelia compilauit, quæ in conuentu noſtro Louanienſi ſeruantur. Scripſit etiam breue commentarium in conuentu noſtro Louanienſi ſeruantur. Scripſit etiam breue commentarium in Apocal. Ioannis, cui titulum fecit Iudicium de Apocalypſi & Antichriſto, in quo beſtiam illam, cuius fit in illo mentio cap 13. aſſerit eſſe Mahumetum cum ſua ſecta, Anniū & quoſdam alios in hoc ſequutus. Scripſit etiam ſuper Geneſin & epiſt. Pauli comment. ſiue adnotationes, ſed confuſè & magis ſtudendi gratia, quàm ad poſteros tranſmittendi intentione. Fuit hic bonus Pater vt doctus, ita etiam multùm religioſus, & communis boni amator præcipuus, cui Louanienſis noſter conuentus potiſſimùm, & tota Prouincia illa inferioris Germaniæ debet quàmplurimum, & poſt illius tranſitum quem fecit ad ſuperos anno Domini 1566. Magis innotuit, quòd inſigne ſuppoſitum & vtiliſſimum illi communitati & toti prouinciæ viuens fuerat.



Frater Ioannes Benedicti, Doctor Pariſienſis, illius Academiæ quondam decus ſingulare. Nam fuit Theologus profundus, in Ariſt. doctrina plenè doctus, & in ſacris litteris benè exercitatus, & demum ab Henrico Francorum rege ſereniſſimo, ordini Vallis Scolarium (qui ferè eodem tēpore quo noſter initium habuit) generalis præfectus & abbas, ſcripſit libellum introductorium ad Logi-

cam Ariſt. & nonnulla alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi. Claruit anno 1540.

Frater Ioannes Bunderius, natione Flander, conuentus noſtri Gandenſis filius, ac in illo lector Theologiæ eruditus, vir in cõtrouerſiis huius temporis benè verſatus, ſcripſit librum cui titulum fecit, Compendium concertationis huius ſæculi Theologorum ſuper erroribus huius temporis, &c. In quo triginta ſeptẽ materias diſputat. Liber fuit diuerſis vicibus impreſſus. Claruit anno. 1550.

Frater Ioannes de Cruce, natione Hiſpanus, vir religione præſtans, & doctrina non obſcurus, cui & noſtra hæc prouincia Portugalliæ debet quàm plurimum ab magnam quam nauauit operam in educatione religioſiſſima iuuentutis per plures annos, & religioſam præfecturam aliquorum cõuentuum eiuſdem prouinciȩ quam tenuit, ſcripſit Hiſpanico ſermone lib. eruditum per dialogos in laudem orationis vocalis & cærimoniarum Eccleſiæ. Hiſtoriam quoque Eccleſiaſticam ex Latina lingua in Hiſpanicam vertit, vnus & alter liber fuit impreſſus. Librum autem prædictum de oratione vocali & cȩrimoniis, &c. ab eo fuiſſe verſum in linguam Latinam percepi aliquorum relatu, ſed nondum vidi euulgatũ. Chronicam etiam noſtri ord. conſcripſit duobus voluminibus & proſequebatur quo ad cætera eandem, ſed morte illũ præoccupãte, abſoluere non potuit quod animo conceperat. Et primũ quidem volumen duorum prædictorum fuit Oliſbonæ impreſſum Hiſpanicè; aliud Salmanticam miſſum ad patres illius conuentus, vt ibi prælo datum prodiret in lucem, in multorum vtilitatem. Claruit anno. 1556.

Frater



Frater Ioannes Petraza, natione etiam Hiſpanus, magiſter in Theol. qui aliquando in vniuerſitate Conimbricenſi Theologiam fuit publicè profeſſus, neq; minori cum applauſu, quàm pollebat doctrina, vir fuit multis nominibus colendus. Edidit Hiſpanico ſermone Summam vnam confeſſariis non parum vtilem, ſeu confeſſionale. Plura eius non vidi. Vixit adhuc anno 1560.

Frater Ioannes Segobienſis, etiam natione Hiſpanus, vir ſacrarum litterarum aſſiduo exercitio doctus, diuini verbi declamator egregius, & in aliis non vulgaris doctrinæ, & ſuis multis meritis multùm venerandus, ſcripſit librum magnum in folio, de prædicatione Euãgelica, & de modo ſtudendi & prædicandi. Fuit liber impreſſus Cõpluti. Liber eſt in 4. partes diuiſus, & in prima & 2. tractat illud munus rhetoricum quod eſt docere, in aliis duabus, qualiter alia duo munia, ſcilicet mouere & delectare debeat agere inſtruit. Cõpoſuit etiam (vt didici) tria volumina ſermonum de Sanctis, ſed nondum euulgauit quod ſciam. Plura eius ad meam non peruenere notitiam. Viuebat adhuc anno 1576.

Frater Ioannes Pumeus, natione Flãder, & noſtri conuentus Gandenſis filius, ac ſacræ Theologiæ in illo lector eruditus, vir humanarum litterarum peritus, diuinarum valdè ſtudioſus, in Græcis etiã verſatus, in concionibus verò ad populum admodum facundus & gratioſus, plurima conſcripſit, quæ habentur in prȩfato conuentu. Dedit autem in lucem, cùm adhuc viueret, Sermones Quadrageſimales. Sermones etiam ſuper pſalmos graduales. Vixit adhuc anno 1571.

Frater Iſidorus de Iſolanis Mediolanenſis, vir ingenio & doctrina clarus, in Philoſophia diuina & humana benè peritus, in humanis & ſacris literis benè verſatus, ſcripſit librum de imperio militantis Eccleſiæ, in 4. diſtribuitur, & fuit ille Mediolani impreſſus. Compoſuit & aliud opus, de Regũ & Principum omnium inſtitutis, fuit etiam Mediolani impreſſus. Scripſit etiam vitam B. Veronicæ quę fuit ſoror noſtri ord. in monaſterio S. Marthæ, in 8. libros diſtinctam. Liber fuit impreſſus etiã Mediolani anno 151?. Scripſit etiam ſummam quandam (& eſt ſecta in 4. partes) de donis S. Ioſeph ſponſi B. Virginis. Prima pars continet 17. capita, 2. verò 15. Tertia autem 22. Quarta autem 10. & fuit liber dicatus Adriano 6. Scripſit etiã contra Auerroem lib. 4. de æternitate mundi, de velocitate omnium motuum præclara dogmata, &c. Et hic liber impreſſus coniungitur interdum cum Capreolo in compendium redacto per Paulum Soncinatẽ. Eidem Capreolo ſic in epitomen redacto; addidit nonnulla quæ Soncinas morte præuentus nequiuit perficere. Scripſit etiam quæſtiones, quas diſputauit Papiæ, de igne inferni, de purgatorio, de merito animarum in purgatorio, de diſpenſatione dantis & recipientis indulgẽtias, de modo remiſſionis factę per indulgẽtias. Habẽtur hæc etiam impreſſa Papiæ, anno 1522. & circunferuntur cum prædicto Capreolo. Claruit anno 1515.

Innocentius 5. videatur in liter. P. in verbo, Petrus de Tharantaſia.

Frater Iulius (aliis eſt Tullius) ex prouincia Dalmatiæ, vir ingenio valens, religione præſtans, in Scholaſtica doctrina non infimè doct⁹, & in diuinis literis verſatus, ſcripſit Poſtillas ſuper 12. Prophetas Minores. lib. vnum dè Potentiis animæ. Claruit anno * P. P. *mon. ord.*

Frater Iuſtinus, vir ingenioſus, in politioribus literis benè verſatus, & in ſacris atque Scholaſtica doctrina non minùs, iuſſus à patribus noſtris in capitulo generali, celebrato Bononiæ, anno 1242. Vitam B. Dominici patris noſtri compoſuit. Plura eius ad meam nõ peruenere notitiam. *Leãd. lib.* 4.

Frater Rambertus de Primatitiis Bononienſis, magiſter in Theolog. & Epiſcopus poſteà factus Caſtellanus Venetus, vir fuit eruditionis opinione ſpectabilis, D. Thomæ defenſor validus & ſtrenuus, & vitæ moribus compoſitus. Scripſit autem Apologeticum contra corruptorium D. Thomæ pro illius doctrinæ defenſione. Plura eius non vidi. Claruit anno 1314. P. P. *mon. ord.*

Frater Latinus Frangiapanis Romanus, nobilitate quidem ſanguinis ſatis notus, ſed animi ſplendore & doctrina multò magis clarus, & poſteà à Nicolao 3 (qui erat ipſius patruus) fuit factus Cardinalis, &c. compoſuit proſam illam quæ canitur in die animarum, Dies illa, dies iræ, &c. Proſas quoque de beata Virgine. Plura eius non vidi. Claruit anno * *Leand.*

Frater Laurentius Geruaſij, & frater Leurentius (aliis eſt Lauterius) de Vualdinis de Florentia, viri ingenio & doctrina Scholaſtica, egregij & multarum rerum cognitione ſpectabiles, non lento gradu huc properant. Et primus copulata quædam in totam ſummam D. Thomæ confert, & claruit Pariſiis, tempore Ludouici 11. Regis Frãciæ.

Alius verò contra Iudæos venit armatus, ſecum habens quem contra illos ſcripſit libellum, & dicitur Capiſtrum Iudæorum. Claruit circa annum 1418. *Epiſt. Geſn. & Alb. Ven.*

Frater Laurentius Brāchofordius de Placentia, vir religione conſpicuus, in Scholaſtica doctrina plenè eruditus, in ſacris literis vigilans & aſſiduus, & Philoſophiæ ſæcularis non ignarus, ad poſteros tranſmiſit

*Super Pſalterium collationes de Sanctis.*

*Sermones varios & principia in Theologia.*

Claruit circa annum 1420. *Alb. Ven.*

Frater Leander Albertus Bononienſis, vir in politioribus literis non vulgariter verſatus, hiſtoriarum & antiquarum rerum valdè ſtudioſus & magnus ſcrutator, in Theologia Scholaſtica & in aliis eruditus, ſcripſit volumen vnum in 6. libros diſtinctum, quod prænotauit de viris illuſtribus fratrum ord. prædic. fuit liber impreſſus Bononiæ anno 1517. Ex eo nonnulla ad hoc noſtrū Chron. aſciui. Scripſit etiam Chronicam ciuitatis Bononienſis: & vt id faceret, ſumptibus communibus ciuitatis ſuſtentabatur. Scripſit & aliud opus Italico ſermone, quo præſertim maximum ſibi comparauit nomen. Nā doctiſſimum eſt, & ipſius ingenium ac multā lectionē manifeſtè demōſtrans, eius titulus eſt, Deſcriptio totius Italiæ, in qua origo Italię & illius Domini & ciuitatum nomina, & famoſiorum virorum ac rerū magis notabilium narratio continetur. Opuſque dicauit Henrico II. Regi Franciæ & ſuæ conſorti. Fuitque impreſſum Bononiæ anno 1550. Et Venetiis aliquot vicibus. In huius operis initio 12. virorum inſigniū in commendationem operis Epigrammata premittūtur.



Frater Leonardus de Piſtorio, qui circa annum 1180. claruit, vir doctrina ſpectabilis & venerandus quam cōpoſuit ſummam Theologicā, duobus voluminibus diſtinctam, huc in aceruum portare properat, & eum licet à lōgè ſequitur, frater Leonardus Raguzinus ex prouincia Dalmatiæ, magiſter in Theol. eruditiſſimus, qui & Paduæ per plures annos fuit publicus Theologiæ profeſſor Domini Venetij ſumptibus ſuſtētatus, lecturas varias in ſummam D. Tho. & multa alia, quæ in cōuentu ſuo ſeruantur, opuſcula huc apportat. Vixit adhuc anno 1540.

Frater Leonardus Stacius de Florentia, generalis Magiſter ord. qui & in concilio Conſtantiēſi, plurimum adhibuit ſtudij pro vnione & pace Eccleſiæ, vir fuit excellenti ingenio, doctrina, & vita conſpicuus, & omni veneratione proſequendus, concionator autem facundus & gratioſus. Scripſit

*Sermones etiam de Flagellis.*

*Serm. de tempore, & feſtiuos,*

*Serm aliqui illius habētur in Concilio Cōſtantienſi.*

Plura eius non vidi. Obiit Florentiæ, circa annum 1427.

Frater Leonardus Belluuenſis (aliis eſt Vtinenſis,) magiſter in Theol. vir in Philoſophia naturali & morali ſufficienter imbutus, in Theologico ſtudio exactè ac ſolidè doctus, & ſtudij noſtri Bononienſis aliquando Regens præclarus, & prouinciæ S. Dominici quæ Lombardia nunc dicitur, moderator vigilantiſſimus, ſcripſit volumen magnum de Legibus in 4. impreſſum. Venetiis anno 1473.

*Lib. 1. ſermonum de tempore.*

*Lib. 1. ſermonum de Sanctis.*

Complura in Logicam & in Phyſicam Ariſtot. & multa alia quæ in ſuo conuentu ſeruantur. Claruit anno 1445.

Frater Lucas de Manelliis Florentinus, vir qui in humanioribus literis muſas habuit ſatis familiares, Philoſophiam ancillam valdè ſedulam, & ſacram Theologiam ſponſam chariſſimam, iuſſu Clem. 6. ſummi Pontif. Senecam commentariis optimis exornauit. Plura illius non venerunt ad meam cognitionē. Claruit an. 1345. *P. P. mon. ord.*

Frater Ludolphus, natione Saxo, poſtquàm per 26. aut circiter annos habitum noſtri ord. geſtarat, ad Carthuſienſes à nobis defecit, & illorum habitum ſuſcepit Argentinæ. Fuit autem vir pietatis multæ, & eruditionis eximiæ, atque in diuinis literis & ſanctorum Patrum lectione diligentiſſimus. Ex quibus compilauit expoſitionem eruditam & piam in Pſalmos, ſenſum ſpiritualem ad fomentum maius ſpiritus proſequendo, & litteralem non negligendo. Et in fine cuiuſuis Pſalmi precatiūculam facit conformē ad materiā pſalmi. Scripſit etiam hiſtoriā Chriſti Domini, Saluatoris noſtri, ex 4. Euangeliſtis eam colligendo, eamque piis admodumque eruditis explanationibus exornauit. Scripſit etiam ſermones vtiliſſimos. Claruit anno 1530. *Sixtus Sen. in ſua Biblioth.*

Frater Ludouicus Ferrariēſis, magiſter in Theologia, & in Romana curia procurator ord. vir ingenio acri, & eminenti doctrina præditus, & in vtroque iure doctiſſim⁹, antequàm ordinem fuiſſet ingreſſus, & in illo Theolog⁹ euaſit cōſummatus, ſcripſit comment. ſuper lib. Ethic. Ariſtot. Multa alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi? Obiit anno 1496. *Leand. lib. 4.*



Frater Ludouicus Compagna Verenenſis, vir in Oratoria arte & Poëtica cōſummat⁹, in Philoſophia autem diuina & humana ſufficiēter imbutus, ſcripſit orationes multas & pulcras. Carmina quoque multa tam Latino, quàm materno idiomate egregia. Et frater Ludouicus Venetus ex nobili Michaëla familia ortus, vir nobiliter doctus, & in iure Canonico etiam multùm verſatus, ſcripſit ſummam pręclaram caſuum conſcientiæ, quæ Michaëlina dicitur. Claruerunt vnus & alter anno Domini 1512. *Leand. lib. 4.*

Frater Ludouicus Viualdus. Vide ſupra in litera I. in verbo Ioannes Ludouicus Viualdus.

Frater Ludouicus Granatenſis, magiſter in Theologia noſtri ord. in prouincia Portugalliæ aliquando moderator digniſſimus, vir oratoriæ artis exactiſſimè peritus, in aliis ſæcularibus literis plenè doct⁹, in ſacris verò & in Scholaſtica doctrina non vulgariter verſatus, ſed & diuini verbi Eccleſiaſtes inſignis, vitæ autem probatiſſima cōſpicuus: propter quæ à sereniſſimo Domino infante Portugalliæ Cardinali, & poſteà ad idem regnum aſſumpto D. Hērico fuit ſemper maxime habitus. Sui ingenij & eruditionis multæ & eloquentiæ Dei ſpiritu plenæ multa hucuſque tulit teſtimonia in multis, quæ ad vtilitatem omnium in lucem emiſit, operibus. Lingua Latina edidit ſequentia,

*Volumen vnum ſerm. de aduentu Domini vſque ad Quadrageſimam.*

*Volumen aliud concionum per Quadrageſimam.*

*Volumen aliud concionum à Paſchate.*

*Volumina aliquot concionum de ſanctis*

Rhetoricam eccleſiaſticam. Collectanea quædam ex Seneca, ex Plutarcho, & apophthegmatibus. Sermone autem Hiſpanico compoſuit quæ ſequũtur, quę tamen iam in Italicam, Gallicam, & aliarum nationum, verſa ſunt linguas, & vertũtur indies, & pro illis qui in via Dei progredi ſatagũt, ad illámve redire, vix vlla hoc noſtro tempore ita proficua & opportuna ad ſpiritualem vitam nutriendam, vel ſuſcitandos emortuos homines in peccatis, inueniuntur, vt quæ ille qui communem omnium Chriſti fidelium profectum euulgauit. Sunt autem illa quæ ſequuntur.

*Liber vnus de oratione & meditatione.*

*Alius, qui dicitur, Ducatus peccatoris.*

*Memoriale vitæ Chriſtianæ, qui diuiditur in ſex partes.*

*Additiones ad memoriale vitæ Chriſtianæ.*

*Tranſtulit ex Latina lingua Ioannem Climachum in Hiſpanicam.*

*Hiſtoriam Eccleſiaſticam eum etiam ex Latina vertiſſe in Idioma Hiſpanum, aliquorũ relatu didici.*

Hæc opera prædicta Hiſpanicè ab authore edita, quæ & ſpiritum fouent, illuſtriſſimus Dux Albanus Belgicæ regionis gubernator exiſtens mandauit imprimi, idque multa diligentia fecit Plantinus, omnia illa 14. voluminibus in 8. cõplectendo. Viuit adhuc iſto anno 1582.

Frater Ludouicus de Soto-Maiori, natione Luſitanus, vir hoc noſtro ſæculo in Portugallia percelebris famæ habetur eúmque commẽdãt plurimũ religionis, & humilitatis magnæ præſtãtia quã



habet cum nobilitate coniunctam, ingenij prædari fama, Latinæ linguæ, Græcæ, & Hebraicæ peritia, multa in ſacris litteris & in ſanctorum patrum lectione diligentia, & D. Thomæ doctrinæ cognitione non vulgari. Maximè autem inter hæc omnia eum omni veneratione & reuerentia dignum efficiunt, vitæ probitas, conuerſatio mitis, & facilis, omni arrogantia procul pulſa, Profeſſorem publicum & regium ſacræ ſcripturæ agit in celebri vniuerſitate Conimbricẽſi, iam à quatuordecim aut circiter annis, cum ſummo omnium applauſu. Suæ autem eruditionis manifeſtũ perhibent teſtimonium lecturæ ſolennes & eruditiſſimæ quas fecit hucuſque, Euangelium Lucæ explicando, item partem libri Pſalmorum ac libri Iob, Epiſtolam j. ad Timotheum Pauli, & Ioannis Euangelium, & multa alia quæ omnia & reliqua quæ habet præ manibus, breui in totius Reipubl. Chriſtianæ commodum typis mandanda ſperantur. Viuit adhuc iſto anno 1584.

Frater Ludouicus de Luere, natione Italus, patria aut cognomine Brixienſis, vir ingenij & doctrinę ornamẽtis decoratus, tam in ſęculari, quàm in Chriſtiana philoſophia verſatus, concionator quoque præclarus & doctus, ſcripſit ſerm. ſuper euangelia & epiſtolas de tẽpore. Serm. etiam de Sanctis per annum. Quòd plura ſcripſerit, neſcio. Hanc miſeram vitam degere deſijt circa annũ 1572.

Frater Luthodus, natione Teuto, vir in politioribus litteris benè doctus, & in alijs non ignarus, ſcripſit in gratiam iuuentutis floresquoſdam Grammaticales, & neſcio quæ alia Clarúit an-

no 1513. Leand. lib. 4.

Frater Magdalius Iacobus, natione Hollãdus, patria Gandauus, vir in Græcis & Hebraicis eruditus, in diuinis litteris vtcunque exercitatus, ſcripſit opus vnum quod prænotauit Correctorium ſiue Epitomẽ Bibliæ, cum quarundam difficilium dictionum luculenta expoſitione. Operi epiſtolam dedicatoriam præmittit ad magiſtrum Adamum Bopardum theologum. Liber eſt in quarto & impreſſus fuit Coloniæ apud Quentellium, anno domini 1500. quo tempore claruit author.

Malachiæ cuiuſdam Dominicani meminit Garetius in lib. De ſacro corp. & ſanguine Chriſti, claſſe j. & dicit eum vixiſſe anno 1308. & ſcripſiſſe librum quem prænotauit Venenum. Et ex illo teſtimonium citat. Ampliorem vel illius, vel operum quæ ſcripſerit non ſum conſecutus notitiam.

Frater Mantius, natione Hiſpanus, qui Theologiam per annos plurimos & in Complutenſi vniuerſitate & Salmaticenſi profeſſus eſt cum pari omnium applauſu & admiratione, vir magna ingenij acrimonia & in proponendis quæſtionibus vehementia, & in reſoluendis nodis theologicis dexteritate maxima præditus, & in Ariſtot. doctrina & Scholaſticorum pleniſſimè eruditus, dictauit lecturas ſuper D. Tho. ſummam eruditionis plenas: doctrinæ autem Reuerendiſſimi D. Caiet. tam inſignis extitit explanator, vt etiam quæ obſcuriſſima erant, & à ſenſibus remotiſſima, tam plana redderet & penetrabilia, vt etiam ingenij inopes ea faterentur facillima. Vir fuit quem propter eruditionis eminẽtiam ſemper veneretur poſteritas; & ſi ſolicitus fuerit magis in docendo qui poſteà etiam poſteros ſcriptis ſuis erudiant & illuminent, quàm in tranſmittendo ad illos aliqua opera, quæ eius doctrinam commonſtrent. Obiit anno 1575. aut 6.



Frater Martinus, Leures (fortè Leuues vel Leuuienſis ab oppido ſic dicto) nuncupatus, natione Brabantinus, conuentus noſtri Traiectenſis ſupra Moſam filius, vir non ineruditus, ſcripſit librum quo mulieres ab improperijs illis, quibus ſolent communiter affici defendit, & earum præclara facta in vnum colligit & recenſet. Habetur hic liber in conuentu prædicto manuſcriptus. Claruit anno *

Frater Martinus ex prouincia Poloniæ, patria Carſulanus, qui primò fuit ſummi Pontif. pœnitentiarius, & poſtmodum per Nicolaum 3. ſummum Pontif. factus eſt Archiepiſcopus Bregnenſis in Polonia, vir fuit morum grauitate, & multis virtutũ ornamentis adornatus, in aliis facultatibus & diſciplinis bene verſatus, in iure autem Canonico peritiſſimus, & in hiſtoriis euoluendis præcipuus. Compoſuit tabulam ſuper totum Decretum, quæ Margarita dicitur. Chronicon ſummorum Pontif. & Imperatorum, vſque ad ſua tempora quæ Martiniana nuncupatur. Sermonum de tempore lib. j. Sermonum de Sanctis lib. j. De diuerſis miraculis lib. j. Et multa alia. Claruit anno 1320. P. P. *mon ord. & Tritem.*

Cuiuſdam Martini Franciſci noſtri ordinis meminit Guillelmus Pipinus in lib. quem inſcripſit De imitatione ſanctorum, in ſerm. de ſancto Sebaſtiano, & citat illius teſtimonium in ſerm. An is

idem ſit Martinus cuius nunc proximè memini, an alius, me latet.

Frater Martinus Ledeſmius, natione Hiſpanus, in inſigni vniuerſitate Conimbricenſi olim à ſereniſſimo Portugalliæ Rege, Ioanne 3. erecta, Theologiæ publicum profeſſorem egit per 30. annos & ampliùs, qui vir fuit magni iudicij, in Ariſtot. doctrina ſufficientur doctus, in D. Tho. autem cõſummatus, & reſolutus, in materia morali potiſſimùm: & licet fuit ſermone imperitus & barbarus: fuit tamen eruditione clariſſimus. Pręter lecturas autem egregias & eruditionis plenas, quas fecit in ſummam Theologicam D. Thomæ, ſcripſit quoque Commentaria docta in lib. 4. magiſtri ſentent. fuitque liber impreſſus Conimbricæ. Accedit ad alia ipſius encomia quibus magnam laudem & memoriam promeretur, quòd noſtri collegij S. Thomæ, quod Conimbricæ habemus, à prænominato ſereniſſimo rege Ioanne 3. erectum & dotatum ipſe primus fundator, & præcipuus extitit ex noſtro ordine. Plurima fecit & tulit in obſequium Chriſti & ordinis. Sit ergò illius memoria in benedictione domini. Obiit circa annum 1574.

Frater Matthæus Ebroicenſis Normandus, vir vndequaque doctus, & in ſacris litteris nõ modicũ exercitatus, ſcripſit commentaria lectu digna

*Super Geneſim.* *Super Leuiticum.*
*Super Exodum.* *Super Eſaiam.*
*Super Numeros.* *Super Deuteron.*
*Super alios, plures libros ſacros ſcripſiſſe dicitur, & quòd ſcripta eius in Bibliotheca ſui conuentus habentur.* Claruit anno Domini* *Tritem.*



Frater Matthæus Bandellus de Caſtro-nouo, vir eloquio nitidus & emunctus, doctrina clarus & multis meritis venerandus, ac dignus qui ab omnibus multùm commendetur, Vitas quorundam illuſtrium virorum ex Plutarcho breui complexus eſt compendio.

Vitam patrui ſui Vincentij Bandelle & aliorũ inſignium virorum noſtri ord. ſcripſit. Egeſippum ex Latina lingua in vernaculam vertit.

Orationes multas & egregias compoſuit, & inter alias vna inſiguis fuit quam repræſentauit coram ſenatu populóque Firmiano, pro gratiarum actionibus. Cuius exemplar Senatus continuò habere voluit ſeruandum in Archino vrbis illius, pro æterna rei memoria. Claruit anno 1513. Leand lib. 4.

Frater Matthæus Ortiſius, natione Hiſpanus, & frater Mattheus de Gritis Mediolanenſis, quàm poſſunt celerrimo curſu huc properant, vt & ſuis præſentiis & opuſculis hanc noſtrã bibliothecam magis exornent. Et primus quidem qui & hæreticorum fuit cenſor integerrimus, & honeſtate morum compoſitus, & doctrina non ignobilis, librum compoſuit aduerſus hæreſes. (vt Sixtus Senenſ. in ſua Biblioth. author eſt) Et ſecundus tanquam quotidianum panem ſermones de tẽpore & de Sanctis per totum annum, perquàm vtiles apportat. Et claruit anno 1262. P. P. *mon. ord.*

Frater Matthæus, qui fuit aliquando Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir admodum grauis & eximia eruditione fulgens, & tam in Chriſtiana, quàm in ſæculari philoſophia inſigniter inſtructus, ſuum nomẽ apud poſteros celebre red-

didit ſcribendo libros 4. quibus totam ſcripturam redegit in locos communes: incipit liber, Omnia poma noua, &c. & opus ſeruari dicitur in Bibliotheca conuentus noſtri Bononienſis. Claruit anno *

Frater Matthæus Ori, natione Gallus cōuentus Dinanēſis, vir doctrina admodū inſignis, fuit ſtudij noſtri Pariſiēſis Regens clariſſimus, & eiuſdem conuentus prior meritiſſimus, & ſubinde congregationis Gallicanæ Vicarius generalis, & etiā per totam Galliam inquiſitor generalis, & Pauli tertij Iulij 3. Marcelli 2. & Pauli 4. Pœnitentiarius. Fuit etiam diuini verbi eccleſiaſtes præſtātiſſimus, functionis huius titulo & honore gauiſus coram illuſtriſſimo Cardinali à Turone. Quātæ autē ille eruditionis fuerit, abūdè demōſtrāt quę cōpoſuit opuſcula lectu digniſſima, ſcilicet. De Iuſtificatione. De Peccato originali. Cōpoſuit etiam opuſculum. De imaginibus. & librum vnum quē inſcripſit Septē ſcholas contra hæreticos in quo reducit omnes, hæreſes ad 7. capita, & hæreticos omnes, illorúmue ſcholā per beſtiam illā ſeptem capitū, cuius ſacra Scriptura meminit, ſignificari docet. Obiit an. Domini *

Fr. Matthias de Pace, natione Hiſpanus, vir vitę probitate ac doctrina cōſpicuus, & in alijs licet diſciplinis non ignobiliter doctus, tamē in ſcripturis ſacris euoluēdis valde diligens, ſcripſit cōmentaria ſuper tota Biblia. Sermones varios. Super ſummam D. Thomæ cōtra Durandum. Authores huius ſunt Sixtus Senēſis in ſua Biblioth. & Chroniſta Bethicus Anonymus in ſuo manuali. Frater Matthias Aquarius Neapolitanus conuētus noſtri Regij S. Dominici ibidem filius, vir ingenio acutus, in Ariſtot. & D. Thomæ doctrina ſatis doctus & tritus, qui in ſtudio Neapolitano publicum Metaphyſicæ egit profeſſorem, ſcripſit quæſtiones Metaphyſicę cōtra Scotiſtas &c. cum quibuſdā theorematibus. Obſeruationes quaſdam, vel adnotationes etiam compoſuit non contemmnendas, ſuper commentaria vel quæſtiones Franciſci Ferrarienſis, in lib. Phyſic. & in libro de Anima. Prodiere excuſſæ cum eodem opere Ferrariēſis, anno 1576. Romæ, quo eodem anno viuebat author.



Frater Mauritius, vir religione & doctrina conſpicuus, compoſuit Diſtinctiones quaſdam per Alphabetū valdè vtiles ad prædicādū. Et habetur hic liber manuſcriptus characteribus admodum antiquis, Neapoli in conuentu noſtro B. Dominici, & cōtinet 89. Diſtinctiones. Claruit anno 1290.

Frater Melchior Canus, natione Hiſpanus, qui fuit aliquando Canarienſis Eccleſiæ præſul, & poſtquàm Epiſcopatui ceſſit, factus fuit prouincialis Hiſpaniæ, Vir eloquentiſſimus, Græcæ etiam linguæ non ignarus, in Ariſt. & D. Tho. doctrina pleniſſimè inſtructus, in ſacris verò litteris & in Patribus adeò verſatus, vt toto vitæ ſuæ tempore in nulla re alia occupatus fuiſſe videatur, in hiſtoriis quoque euoluendis magnificè tritus & vndequaque doctus. Vnde & in concil. Trident. etiam viris eminentibus fuit multæ admirationi, & ab omnibus in multo pretio habitus. Scripſit librum illum eruditiſſimum, qui hodie omnium paſſim manibus teritur ac meritò, cui titulus eſt De locis Theologicis, in quo tam inſigniter & exactè & tanta eloquentia firmat quæ ſunt Theologo potiſſima loca, ad ſuas firmandum concluſiones, & veluti baſes, quibus nixa tota debet ſtructura Theologa conſurgere, vt nihil poſſit eſſe exactius & abſolutius. Edidit quoque relectionem quandam de Sacramentis in genere. Aliam quoque de Sacramento pœnitentiæ. Et ambas edidit dum profiteretur publicè Theologiam in celebri vniuerſitate Salmaticēſi. Claruit anno Domini 1540.

Frater Melchior à Puteo ex prouincia Arago-

niæ, vir ſpectabili fama, & vitæ ac doctrinæ opinione clarus, ſcripſit librum de laudibus B. Virginis, Mariale autem illud vocauit. Serm. etiam per annum copioſoſ. Vixit circa annum 1560.

Frater Michaël de Inſula, Picardius, vir ingenio & doctrina inſignis, quem etiam vt talem refert in ſua Bibliotheca Sixtus Senenſ. Scripſit Poſtillam ſuper Cãtica Canticorum. Poſtillam quoque ſuper Danielẽ, & habetur in cõuentu noſtro Diuorũ Ioannis & Pauli Venetiis. Claruit anno*

Frater Michaël de Inſulis, magiſter in Theol. vir religione præſtans, omniũ virtutum ſplendore clarus, & doctrina non ignobilis, ſcripſit, tanquam illius cultor præcipuus, De veritate Confraternitatis Roſarij B. Virginis Mariæ lib. j. per modum quæſtionum Quodlibetalium, qui fuit Coloniæ impreſſus anno Domini 1476. Plura alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi. Claruit anno *

Fsater Michaël Sarauetius de Petra-ſancta, olim Regens in conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruã, & in Romano gymnaſio Metaphyſicæ publicus profeſſor, vir fuit multis animi dotibus conſpicuus. Nam philoſophus erat egregius, moribus compoſitus, theologus rarus. Scripſit

*Librum, vel tract. de inſolubilibus.*
*Quæſt. de cauſalitate primi principij.*
*Quæſt. de principio indiuiduationis.*
*Quæſt. de ſubiecto philoſophiæ.*

Liber hæc continens fuit impreſſus Romæ, anno. 1517. Claruit anno Domini 1513.

*Quæſt. de analogia entis, contra Scotiſtas.*
*Quæſt. de Vniuerſalibus.*
*Tract. de primis & ſecundis intentionibus.*

Liber



Liber hæc continens fuit impreſſus Peruſij, anno. 1516. & Romæ anno. 1515.

Frater Moneta Cremonenſis, qui tunc in artibus legens Bononiæ, per totam Lombardiam famoſiſſimus erat, cùm fuit à D. Reginaldo ſuſceptus ad ordinem, vir fuit ingenio excellẽs, doctrinæ fama percelebris, non ſolùm in ſæculari, ſed & in philoſophia diuina. Scripſit autem Summam quandam perutilem ad fidei Catholicæ defenſionem, & hæreticæ prauitatis extirpationem, contra hæreticos Catharos, & alios, &c. incipit, Tempus faciendi domine, &c. quæ & Neapoli habetur manu ſcripta, in conuentu noſtro S. Dominici. Et Bononiæ etiam, & dicitur Summa Moneta. Totam quoque Logicam dilucidè tradidit breui compendio, propter minùs eruditos. Claruit anno 1225.

Frater Munio Hiſpanus, qui fuit 7. in ſerie generali Magiſter noſtri ordinis, & ad præſulatum Placentinæ Eccleſiæ promotus, vir fuit multis meritis venerandus, & doctrinæ opinione clarus. Ordinauit regulam fratrum & ſororum noſtri ord. de pœnitentia B. Dominici patris noſtri, quæ poſtea ab Apoſtolica ſede fuit approbara. Vitam quoque B. Dominici patris noſtri compilandam commiſit fratri Theodorico de Apoldia. Plura eius ad meam non venere notitiam. Obiit anno Domini 1299.

Frater Nicolaus de Anapis Remenſis, ex prouincia Franciæ, Patriarcha Conſtantinopolitanus poſteà factus, vir admodum grauis, religione præſtans, & doctrina clariſſimus, compoſuit librum veluti Enchiridion quo colligit vniuerſa ſa-

cræ ſcripturæ exempla, quæ ad vitiorum deteſtationem, & virtutum exhortationem facere poſſunt, & Biblia pauperum ſolebat appellari communiter. Qui liber falsò & reclamantibus exemplaribus manuſcriptis antiquiſſimis, à quibuſdam Bonauenturæ ſupponitur Habetur autem ille antiquiſſimis characteribus ſcriptus in membranis Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici, in Bibliotheca communi. Claruit anno domini 1285. Fallitur autem Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, dum eum claruiſſe aſſerit anno 1430. vt etiam ex manuſcriptis exemplaribus multò maiorem antiquitatem prædicantibus facilè colligitur. P. 6. *mon. ord.* Epit. *Geſn.*

Frater Nicolaus de Hancinis, vir grauis, & eruditione clarus, ſcripſit librum de exemplis ſacræ ſcripturæ. Crederet forſan aliquis hunc eundem eſſe cum præcedente, etſi nõnulli eos ambos vt inter ſe diſtinctos referant, licet aliqua forſan ex parte diuerſis fuiſſe etiam indicare videantur.

Frater Nicolaus de Teruiſio, vir pius, & ob religionis præſtantiam, probatiſſimæ vitæ ac doctrinæ fulgorem, ampliſſimis cohoneſtandus laudibus, qui & poſtquàm fuit generalis Magiſter ordinis noſtri, fuit factus Cardinalis, ad hanc dignitatem ex illo officio aſſumptus, & poſteà Summus Pontifex factus & dictus Benedictus xj. cuius amplior fit mẽtio in Chronico ordinis quod parauι. Scripſit autem ille, (vt frater Alb. Venet. de illo receſet in ſuo Chron. aut Iacobus de Suzato) Cõmmẽtaria ſuper Pſalterium. Super Matthęum ſermones plures. Claruit anno 1303. in ſummo Pontificatu, & ſequenti anno obijt.



Frater Nicolaus Gorranus, natione Gallus, olim noſtri ord. in prouincia Franciæ moderator, & Philippo Francorum regi à ſacris confeſſionibus, vir ſuo tempore grauiſſimæ authoritatis, doctrinæ eminentis, & tam in Scholaſticis, quàm in ſacris voluminibus verſatiſſimus, & demum ſuarum virtutum merito vnicè laudandus, quæ reliquit poſteris ſuæ eruditionis monumenta hæc ſunt, Commentaria

| | |
|---|---|
| *Super Geneſin.* | *Super Threnos Hieremiæ.* |
| *Super Exodum.* | *Super Matthæum.* |
| *Super Leuiticum.* | *Super Marcum.* |
| *Super Numeros.* | *In Epiſt. ad Titum.* |
| *Super Deuteron.* | *Ad Philemonem.* |
| *Super Pſalterium.* | *Snper Lucam.* |
| *Super Eſaiam.* | *Super Ioannem.* |
| *Super epiſt. Theſſ.* | *In Epiſt. ad Rom.* |
| *In epiſtol. ad Timoth.* | *Ad Corinthios.* |
| *In Apocalypſin.* | *Ad Galatas.* |
| *Super Hieremiam.* | *Ad Epheſios.* |
| *Super Eccleſiaſten.* | *Ad Philippenſes.* |
| *Super Eccleſiaſticum.* | *Ad Hebræos.* |
| *Super Cantic. Cantic.* | *In Epiſt. Canonicas.* |

Scripſit etiam ſuper quatuor libros ſentent. Diſtinctiones rerum theologicarum. Sermones varios & themata, Fertur & plures alios bibliorũ libros commentatus fuiſſe. Claruit anno 1304.

Frater Nicolaus de Marianis, Mantuanus, & frater Nicolaus de S. Martino, qui fuit Recanatẽſis Eccleſiæ præſul, ambo Itali, & viri vtcunque docti, ad inſtar illius vetulæ Euangelicæ quæ paucos obulos in gazophilacium miſit, etiam pro ſua

exigua ſupellectile differunt vnde noſtra Bibliotheca fiat auctior: Et ille, librum ſeu tractatum quem ſcripſit de Quarta Hic autem quippe qui Euangeliſtes fuit expertiſſimus & gratioſus, ſerm. quàmplurimos. Claruerunt autem circa annum 1312. Alb. Ven.

Frater Nicolaus Treuech natione Anglus, vir in humanioribus litteris abſolutus, in philoſophia diuina & humana perfectus, ſed in hiſtoriis antiquorum euoluẽdis verſatiſſimus, cui etiam perfectæ laudis omnes ampliſſimum teſtimoniũ reddunt de vita ſpectatiſſima, Scripſit

*Commentaria ſuper Boetium de Conſol.*
*Super declamat. Senecæ.* *Cõment. ſuper Iuuenal.*
*Super Problemata Ariſt.* *Super Titum Liuium.*
*Super Valerium Maximum.*
*Annales Anglorum, qui à Comitibus Andegauẽſibus traxerunt originem, incipiendo ab anno 1135. vſque ad annum Domini 1307. Scripſit etiam Commentaria ſuper librum Ouid. Metam.*
*Cõment. ſuper Geneſin.* *Lib. j de peccatis.*
*Super Pſalterium.* *Lib. j. de virtutibus.*
*Librum quem vocauit Scutum veritatis, contra impugnantes ſtatum perfectionis. Quodlibeta varia. Lib j. ſeu Tractatum de Miſſa. Canones de coniunctionibus, oppoſitionib. & eclipſib. Solis & Lunæ, &c. Super tota Biblia etiã ſcripſit dicta Sanctorum concatenando, ſicut fecit S. Thomas ſuper quatuor Euangelia. Annales etiam ad Chriſtum ſuper Auguſt. de Ciuit. Dei. ſed in his commentarijs ſeu Annalibus Auguſtini habuit ſocium & conlaboratorem fratrem Thomam Valoes.*

Lib. is cum ſuis comment. fuit impreſſus Venetijs, anno 1489. & habetur ille Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici. Claruit circa annum 1360. *Epit. Geſn. Alb. Ven.*

Frater Nicolaus Eſculanus, & frater Nicolaus de Briacho viri non aſpernandæ doctrinæ, ſiue illos in philoſophorum ordine, vel theologorum conſideremus, etiam poſteritatis iuuandæ cupidi, quæ compoſuerunt huc deferunt, & primus horum ſcripſit ſuper totam artem veterem Ariſtot. Quæſtiones ſuper libros Phyſic. Compendium Logicæ & nõnulla alia. Et claruit anno 1342. Alter verò ſcripſit ſermones ſatis vtiles. Diſtinctiones morales. Et Summam de abſtinentia. Et claruit anno * P. P. *mon ord.*

Frater Nicolaus de Harcilech, natione Teuto, patria Friburgenſis, & alter, frater Nicolaus etiam Teutonicus, quæ ſocietatis fœdera inter ſe ſemper ſeruarunt, etiam in hac noſtra Bibliotheca cupiunt manere integra, & quòd eos vna & eadem excipiat domus, Viri ſunt graues & qui inter viros vita & doctrina præſtantes non erubeſcent comparere. Horum primus, qui claruit anno 1355. ſcripſit comment. ſuper Epiſt. Iudæ, & librum, vel tractatum de abuſionibus clauſtri. Secundus verò ſcripſit Commentaria ſuper Cantica Cantic. Lib. j. de aſſenſu cordis Lib. j. de arte prædicandi. Plura alia ſcripſiſſe dicitur, quæ non vidi. Claruit anno Domini. *

Frater Nicolaus Aymerichus ex prouincia Aragoniæ, magiſter in Theol. eruditiſſimus, & in ſacris litteris exercitatus, qui & hæreticæ fuit prauitatis inquiſitor, compilauit librum De directione officij inquiſitionis in tres partes diuiſum, &

collectum multo ſtudio & diligentia ex omnibus legibus, canonibus Pontificiis, decretalibus, &c. & eſt opus egregium & perutile. Scripſit etiam Poſtillas ſuper Matthæum, ſuper Marcum, ſuper Lucam, & ſuper Ioannem. Sermones Dominicales per totum annum, & reliquos alios tractatus de aliis materijs. Claruit circa annum 1390. *Leand lib. 4.*

Frater Nicolaus de Chuſa vir fuit cuius in hunc modum & in hæc verba formaliter fit mentio in additione ad librum 31. Speculi hiſtorial. Vincentij Beluacenſis: vir ſuo tempeſtate doctiſſimus vitiorum hoſtis acerrimus, integritate animi admirabile, vir ſupra opinionem eloquens & Latinus, & tanta omnium doctrinarum vbertate prędıtus vt quicquid ex tempore dicendum incidiſſet, id tali copia diſſereret, vt illi ſoli facultati ſtuduiſſe cẽſeretur, hiſtorias omnes recẽtiores, & antiquas memoria tenebat, & in Mathematicis diſciplinis fuit ſuo tempore illo doctior nullus, Ariſtot. quoque doctrinæ & ſcholaſtica peritiſſimus. Fuit autem ille primò Epiſcopus Brixienſis factus, poſtea anno 1449 Cardinalis creatus ſub titulo S. Petri ad vincula, ait Coclheus in lib. xj. hiſtoriæ Huſſitarum Scripſit ille

*Tract. vnum de viſione Dei.*
*Alium de reparatione Calendarij.*
*Alium de Mathematicæ complemento.*
*Alium de venatione ſapientiæ.*
*Alium de Mathematica præfectione.*
*Alium contra Bohemos.*
*Alium de Beryllo.*
*Alium de dato patris luminum.*



*Alium de quærendo Deo.*
*Alium de apice Theoriæ.*
*Alium de quadratura circuli.*
*Alium de docta ignorantia.*
*De cribratione Alcorani, tract. 3.*
*De ludo globi myſticè tract. 2.*
*Coniecturam de nouiſſimis diebus.*
*De Fortuna tract. vnum.*
*Directorium ſpeculantis.*
*De filiatione Dei, tract. I.*
*De Geneſi, dialogum.*
*Serm. per totum annum.*
*Epiſtolas ad diuerſos.*

Hæc omnia prædicta, vno volumine magno continentur impreſſa Pariſijs anno 1514. Norimbergæ etiam & Baſileæ.

Scripſit quoque ſequentia, & ſimul habentur impreſſa in alio volumine,

*Dialogum de Deo abſcondito.*
*Dialogum de annunciatione Dominica.*
*Excitationum libros decem.*
*Epiſtolas ſeptem.*
*Correctionem tabulæ Apocalypſis.*
*Tract. de perfectione mathemat.*
*De Arithmet. complementis.*
*De transmutationibus Geometr.*

Et multa alia ſcripſit quæ habentur ſimul impreſſa. Claruit anno 1430.

Frater Nicolaus de finali Mutinẽſis, vir in poëſi & in alijs humanioribus litteris nõ mediocriter

inſtructus, in philoſoſophia verò diuina & humana nobiliter doctus, ſcripſit tam in vulgari lingua quàm Latino ſermone ligato opus ſeu tractatum, quòd ſolus Ieſus Chriſtus fuerit ſine peccato: Et eundem ipſemet gloſſauit. Et in eo tota materia De Conceptione B. Virginis dilucidatur. Inſcribitur vero liber, Monile Chriſti, & matris eius In eo autem opere quinquaginta metrorum differentię ponuntur ab inuicem diſtinctæ. Claruit circa annum 1525.

Frater Nicolaus Alexius Peruſinus, magiſter in Theol. & ſtudij noſtri Peruſini Regens meritiſſimus, vir religione, & tam humanarum litterarum, quàm diuinarũ notitia clarus, ſcripſit Commentaria ſuper totam Logicam, & philoſophiam Ariſtot. carmine Heroico complexus eſt 4. libros Regum, & hiſtorias in illis contentas pulchrè diſſerit. Claruit anno 1566. *Frater Felix de Caſtro-Franco.*

Frater Nicolaus Bugnatorius Brixianus, vir in humanioribus litteris non infeliciter verſatus, & ſacrarum ac Theolog. Scholaſticæ benè peritus, ſcripſit, rogatus à Leandro Alberto Bononienſi, vitam B. Conradini Brixiani, etiam noſtri ord. eamque dicauit Auguſtino Commotæ Brixiano, & habetur in Leandr. libro 5. de viris illuſtr. Plura ſcripſiſſe fertur, quę tamẽ nõ vidi. Claruit an. 1520.

Frater Nicolaus de Traiecto, vir vtriuſque philoſophiæ diuinæ ſcilicet & humanæ, valdè peritus, & humanarum litterarum notitia inſignis, ſcripſit Super Boëtium De conſolatione. Et eius ſcripto ſe non reperiſſe vllum melius, author eſt D. Antoninus 3. p. hiſtor. tit. 23. c. xj.



Frater Nicolaus Diaz natione Luſitanus, magiſter in Theologia, vir religionis merito, & rerum agendarũ peritia prętans, concionator non ignobilis, & in aliis doctrinæ non contemnendæ, & tum aliis nominibus commendandus, tum etiam quòd Beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſarij ſanctiſſimi ſit cultor præcipuus, & promotor inſignis, ſcripſit Luſitana lingua. Libellum de Roſario B. Virginis deuotum & pium, quod fidelium mentes illius lectione ad amorem diuinum & pietatem excitaret. Compoſuit etiam, vel ordinauit officium de ſolennitate Sanctiſſimi Roſarij. Officia etiam, vel lectiones aliquot ſanctorum quorum feſta in Portugallia celebrantur. Viuit adhuc iſto anno 1584. ſemper religionis obſeruantiam zelans, & negotiis tum piis, tum aliis occupatus, agitq; Salmaticæ, illuc ex Portugallia à Philippo Rege, quoniam pro libertate patriæ ſuæ aliqua liberè concionatus fuit quæ non ad magnam Caſtellanorum laudem & illorum Regis Philippi faciebant, miſſus.

Frater Nicolutius de Eſculo, vir in bonis literis & in ſacris bene peritus, & in materia concionum ad populum, valde exercitatus, ſcripſit Sermones Dominicales per annum. Sermones de Sanctis. Et ſermones pro Mortuis. Claruit circa annum 1262. *Alb. Ven. & Leand. lib.* 4.

Frater Odo Gallus, vir vndequaque doctus, & in diuinis literis non modicum exercitatus, ſcripſit Poſtillas.

*Super epiſt. ad Rom.*

*In vtramque ad Corinth.*

*Super epiſt. ad Galatas.*

*Super epiſt. ad Epheſ.*
*In epiſt. ad Philipp.*
*In epiſt. ad Coloſſenſ.*
*In vtramque ad Theſſal.*
*In vtramque ad Timoth.*
*Super epiſt. ad Titum.*
*Super epiſt. ad Philæmonem.*
*Super epiſt. ad Hebr.*

Poſtilla ſuper has omnes D. Pauli Epiſtolas habetur Venetiis in conuentu noſtro D. Ioannis & Pauli, & incipit, De comedente exiuit cibus, &c. Vt author eſt in ſua Biblioth. Sancta Sixtus Senenſis.

Frater Oliuerius, natione Brito, magiſter in Theol. Pariſienſis, Philoſophus nobilis, Theologus non minùs clarus, & religionis præſtantia, ac diſciplinarum omnium cognitione commendandus, ſcripſit ſuper libros Elenchorum Ariſtot. Super 4. libros ſententiarum. Claruit circa annum 1292. *Leand. & Alb. Ven.*

Oleaſter. Vide ſuprà in litera H. in verbo, Hieronymus Oleaſter.

Frater Pagan⁹ de Bergomo, vir ab ingenij præſtantia & à ſingulari peritia Philoſophiæ diuinæ & humanæ extollendus, diuinarum litterarum ſtudioſiſſimus fuit, & interpres ſedulus, ac diuini verbi concionator famoſus. Scripſit autem poſtillas eruditione plenas

*Super Geneſim.*
*Super Exodum.*
*Super Leuiticum.*
*Super Numeros.*
*Super Deuteron.*
*Super Ioſuë.*
*Super lib. Iudicum.*
*Super Ruth.*
*Super 4. lib. Regum.*
*Super lib. Paralipom.*



*Super lib. Eſdræ.*
*Super Tobiam.*
*Super Iob.*
*In prouerb. Salom.*
*Super Eccleſiaſt.*
*In Cantic. Cantic.*
*In lib. Sapientiæ.*
*In Eccleſiaſticum.*
*Super Eſaiam.*
*Super Hierem.*
*Super Threnos illius.*
*Super Ezechielem.*
*Super 12. Prophetas Minores.*
*Super Matthæum.*
*Super Marcum.*
*Super Lucam.*
*Super Ioannem.*
*Super Apocalypſim*
*Summa contra hæret.*
*Librum de Aduentu.*
*Serm. de tempore.*
*Serm. de Sanctis.*
*Et plura alia.*
*Poſtilla in Cantic. Cantic. habetur Venetiis, in conuentu D. Ioannis & Pauli.*

Claruit anno 1315 *P. P. mon. ord. Alb. Ven.*

Frater Paſchalis ſeu Paſchaſius, natione Hiſpanus, patria Burgenſis, vir valdè religioſus, qui & tandem propter vitam ſuam inculpatam datus fuit à Catholicis Hiſpaniæ regibus præſul Burgenſis eccleſiæ, fuitque ille verũ religioſæ vitæ exemplũ, & in diuinis litteris & humanis vir eruditus & venerandus, ſcripſit in ſimplicium Parochorum commodum librum cum expoſitione omnium Euangeliorum quæ per anni circulum in eccleſia leguntur, cum paucis adnotationibus ad informandum rudem plebẽ, idiomate Hiſpanico. Sermones etiam pro omnibus feſtis totius anni ſcripſiſſe dicitur, Claruit anno 1460. *Alb. Ven. & aliorum Chronica.*

Frater Paul⁹ Gnaſtaferro de Peruſio, vir eruditus, & venerandus, & in materia cõcionum facundus & optimè verſatus, non ſolùm viua voce ſuis con-

cionibus erudiuit multos, ſed & pro poſteritate manda ſcripto mandauit

*Sermones Quadrageſimales.*

*Sermonum Dominicalium volumina varia.*

Claruit circa annum 1575.

Frater Paulus Bononienſis, Philoſophus & Theologus excellens, & concionator Dei verbi inclytus fuit, cuius oratio erat omnino referta ſacræ ſcripturę & Sanctorum patrum teſtimoniis, & tam familiare habuit ad confirmandum dicta ſua vtrumque teſtamẽtum, vt ſupra modum cuncti qui audiebant, admirarentur. Præfuit ſtudio noſtro Bononienſi ſumma cum laude, & epiſtolas D. Pauli Apoſtoli luculentiſſimè explanauit. Claruit anno 1470. *Leand. lib 4.*

Frater Paulus de Monelia Genuenſis, qui fuit noſtri ord. prouinciæ Lombardiæ moderator egregius, & magiſter ſacri Palatij, & poſteà ex illo officio aſſumtus & factus Epiſcopus Chienſis per Alexandrum 6. & ſummi Pontif. legatus in Hungariã miſſus, vir fuit litteratura eximius, & inſtructiſſima diſciplinarum omnium cognitione illuſtris. Super nonnullos ſacros libros ſcripſiſſe fertur. Claruit anno Domini 1496.

Frater Paulus Soncinas, vir ingenio acutiſſimus, in Ariſtot doctrina plenè doctus, in D. Tho. autem & Scholaſticorum placitis & ſententiis reſolutiſſimus, & diſputator accerrimus, ſcripſit ſuper artem veterem Ariſtot. lib. eſt in 4. & fuit impreſſus Venetiis, anno 1499. Opera Capreoli ſuper 4. lib. ſentent. redegit in compendium. Super prædicabilia Porphyrij & Prædicamenta Ariſtot. ſcripſit. Quæſtiones etiam in Metaphyſicam doctiſſimas & reſolutiſſimas. Claruit an. Dñi 1490.



Frater Paulus de Legione, natione Hiſpanus, magiſter in Theologia, non poterit aut debebit ſilentio prætermitti à nobis. Vir etenim fuit doctus, vitæ probitate & concionandi gratia præſtans, & multis nominibus de religione optimæ meritus. Qui etiam ſcripſit librum eruditum, de fide, ſpe, & charitate. Plura eius non vidi. Claruit anno 1530.

Frater Paulus Rouadus Brixienſis, Neapoli agens in conuentu noſtro S. Catharinæ à Formello, vir religione ſpectabilis & venerandus, in rebus agendis expertus, neque ineruditus, compilauit librum precum piarum ex Sanctis patribus, & illum prænotauit Conuiuium animę. Eundem librum paulò pòſt è Latino Italicum fecit. Vterque fuit impreſſus Neapoli, anno domini 1575.

Frater Paulinus Bernardinus Lucenſis, vir de religione & literis optimè meritus, qui cum patribus aliquot, quos ad hoc munus ſocias delegit, totus reſtaurandę religioni incumbit, in cõgregatione Apruitiua in regno Neapolitano, & in aliquos conuentibus ſic eam reſtauraſſe iam dicitur, & in illis ſic omnes cor vnum & animam vnam referuntur habere in Domino, in tanta carnis maceratione & regularis diſciplinæ obſeruantia exacta conuerſari, pattis noſtri D. Dominici hęreditario iure ſuis filiis relicta ſeruantes, vt noſtri ord. primordia videantur referre. Compoſuit librum, cui titulus eſt Concordia contra hæreticos. lib. eſt in 8. impreſſus. Qodlibeta aliquot eum etiã ſcripſiſſe percepi, ſcilicet de abſolutis quæ Deo conueniunt, de Trinitate, de Angelis, de gratia, de

Incarnatione, & de Sacramentis, & nonnulla alia quæ nondum ſunt typis mandata, quòd ſciam: & & habentur Florentiæ, & Peruſij in pretio. Tabulam etiam ſeu indicem pręcipuarum ſentētiarum quæ continentur in comment. D. Caiet. ſuper ſummam D. Tho. confecit. Chronica ordinis copioſa habere dicitur ſub manibus. Viuebat adhuc anno 577.

Frater Petrus Remenſis, natione Gallus, priùs noſtri ord. in prouincia Franciæ moderator, & poſtmodum Epiſcopus Agnenſis factus: vir fuit ingenio præclarus, in politioribus literis & in ſacris tam inſignis, vt fuit etiam vita conſpicuus. De gloſſis ſuper biblia opus fecit compēdioſum. Carmine etiam complexus eſt bibliæ ſacræ hiſtorias, & habetur hic liber manu ſcriptus Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici. Claruit anno 1242. P. 4. *mon. ord.*

Frater Petrus de Laſcala, vir multæ authoritatis & clariſſimi nominis ob peritiam non vulgarem, tam in humanis, quàm etiam in diuinis literis, diuini quoque verbi fuit declamator fructuoſus. Scrpſit.

*Poſtillam ſuper Matthæum.*

*Poſtillam etiam ſuper Ioannem.*

Serm. de Sanctis per totum annum. Serm. etiam de tempore & de Feſtis. Super omnes alios Bibliorum libros poſtillas pulcras feciſſe fertur. Prædicta ſermonum volumina habentur Genuæ apud Minoritas. Claruit circa annum 1262. P. P. *mon. ord.*

Frater Petrus natione Gallus: noſtri ordinis in prouincia Franciæ aliquando prouincialis, vir ingenio acutus eloquio promtus, in humanis & diuinis literis multùm exercitatus, & concionator vbique gratus. Scripſit ſermones de tempore per totum annum. Sermones etiam de Sanctis, & nonnulla alia. Claruit anno 1252.



Frater Petrus Hiſpanus, re & nomine talis, vir non minori obſeruantia dignus ob vitam probatiſſimam, quàm propter eruditionem ſingularem. Nam & in theologica doctrina & in facultatibus aliis fuit inſigniter verſatus. Hic dicitur author ſummularum, eo quòd induſtria non modica Ariſtot. doctrinam in epitomen & methodum faciliimam eamque optimam reduxit, Plurium tamen virorum grauium & doctrina inſignium conflati ſunt commentarij ad exponendum ipſius Petri Hiſpani opera in Logicalibus. Claruit circa annū 1250. P. P. *mon. ord.*

Frater Petrus Falchonis Regius, Gregorij 10. pœnitentiarius maior, qui etiam ante ingreſſum ordinis doctor erat iuris famoſiſſimus reputatus communiter, eò quòd Decretum & Decretales tenebat exactè memoriter, fuitque in religione Theologus præclarus, compoſuit Summam qua ius canonicum cum diuino cōcordauit. Ius etiam ciuile ad certas concluſiones redegit. Claruit anno 1272.

Frater Petrus de Vvalerica ex prouincia Narbonenſi (quam prouinciam prouinciæ dicimus) Vaſconiorum nuntium fuit lucerna inſignis ſuo tempore, & tum vitæ probitate, tum doctrina celebris. Per illam prouinciam 10. annos noſtrū ordinem moderatus eſt, multa cū laude prouincia,

latus munere fungens. Scripſit librum de gradibus cōtemplationis, qui incipit, Notam fac mihi. Quòd plura ſcripſerit, ad meam notitiam nō peruenit. Obiit in conuentu noſtro Burdegalenſi, anno Domini 1276. miraculorum gratia coruſcus P.4 *mon.ord.*

Frater Petrus de Aluernia, qui D. Tho. diſcipulus, & eius vitæ ſanctitatem ſequutus, & doctrinam ſedulò, euaſit vir eminenter doctus, ſcripſit additiones aliquas ad commentaria D. Tho ſuper lib de Cælo Ariſt. ad eā partem quam D. Thomas morte præuentus non potuit abſoluere & explanare. Scripſit & ſuper 3. & 4. libros ſentent. commētaria non contemnenda. Commentatus eſt etiam lib. Ariſt de Motibus animalium. Librum de longitudine & breuitate vitæ. lib. de reſpirat & inſpir. Librum de iuuentute & ſenectute. Claruit anno 1272. P.P. *mon. ord.*

Frater Petrus de Andria, qui fuit etiam diſcipulus D. Tho. & auditor ſedulus, vir literatura & religione meritò venerandus, lecturam D. Tho. ſuper Matthęum excepit ab ore eius inter legēdum, quam cùm poſtmodum vidiſſet D. Thomas, vt ſuam legi permiſit, & nunc ſub eiuſdem D. Tho. titulo circunferuntur talia commētaria in Math. etſi interdum in aliquibus locis mutila appareant & imperfecta. Author huius eſt D. Antonin. 3. p. hiſt. tit. 18. cap. 10. Quòd etiam ſcripſerit librum de perfectione vitæ ſpiritualis, author eſt Alb. Venetus dum agit de ſexte generali Magiſtro ord. Claruit anno 1270.

Frater Petrus Barchinonēſis, vir pius & doctus, & frater Petrus Boncherius, doctor Pariſienſis, qui fuit etiam Epiſcopus Tinenſis, vir ingenio præſtanti dotatus, grauitate morum, & doctrina varia excultus, & in Scholaſticis plenè eruditus, poſteritatem ſuis ſcriptis iuuant non modicùm: Quorum primus zelo fidei ductus, ab errorum tenebris errantes retrahendi cupidus ſcripſit librum contra Iudæos, qui dicitur Pugio Iudæorum. Hic ſecundus autem ſuper 4. libros ſentent. commentaria egregia. Plura non vidi. Claruerunt circa annum 1295.



Frater Petrus de Raiſa, vir ingenioſus, & eruditionis non contemnendæ, dictauit eleganti ſtilo Repertorium ſacræ ſcripturæ. Aliud opus etiam compoſuit, quod vocauit Siligolum. Homilias etiam varias & doctas. Claruit circa annum 1295.

Frater Petrus Ferdinandi Hiſpanus, ex regno Galliciæ, vir pius & deuotus, neque ineruditus, compilauit. Legendam B. Dominici patris noſtri: quæ incipit, Beatus Dominicus adhuc puerulus. Chronicam etiam ord. ſcripſit, incipiendo à patre noſtro Dominico vſq; ad vitam generalis Magiſtri ord. Humberti. Claruiſſe videtur circa annū 1270.

Frater Petrus de Tharantaſia, Diœceſis Lugdunenſis, ſacræ Theol. doctor Pariſienſis, vir moribus compoſitus, & iudicij dexteritate præditus, & doctrina clariſſimus, atque in ſacris voluminibus euoluendis diligentiſſimus, & in illis exponendis eruditus, fuitque primò prouincialis Franciæ, poſteà Lugdunenſis Eccleſiæ præſul: inde à Gregorio 10. factus Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, ac demum ſummus Pontifex, & Innocentius 5. vocatus. Præbent autem teſtimonium eruditionis illius quæ ſcripſit Commentaria

*Super Geneſim*
*Super Exodum.*
*Super Leuiticum.*
*Super Numeros.*
*Super Deuteron.*
*Super Pſalter.*
*In Lucam*
*In epiſt. ad Rom.*
*In vtramque ad Cor.*
*In epiſt. ad Galat.*
*In epiſt. ad Epheſ.*
*In epiſt. ad Philipp.*
*In epiſt. ad Coloſſenſ.*
*In vtramque ad Theſſal.*
*In vtramque ad Timoth.*
*In epiſt. ad Titum.*
*In epiſt. ad Philæmon.*
*In epiſt. ad Hebræos.*

Hæc poſtilla illius ſuper Paulum, habetur Bononiæ in conuentus noſtri Bibliotheca communi, & etiam Toleti in conuentu noſtro S. Petri Mart. manu ſcripta, &c. Scripſit etiam

*Super 4. lib. ſentent.*
*Tract. de materia cæli.*
*Alium de ætern. mundi*
*Alium de intell. voluntate.*

Librum ſeu tractatũ, de vnitate formæ. Compendium Theol. quod incipit, veritatis Theologicæ. Totam doctrinam D. Tho. redegit in compendium. Et plura alia ſcripſiſſe fertur. Claruit anno 1270. P.P. *mon. ord.*

Frater Petrus de Palude, natione Gallus ex Burgundia, qui fuit Patriarcha Conſtãtinopolitanus, vir fuit in quo præclara multa & omni laude digniſſima coruſcarũt. Nam fuit vitæ probatiſſimæ, Theologus inſignis, vtriuſque iuris doctor præſtantiſſimus, & in ſacris literis egregiè exercitatus. Ad poſteros autem tranſmiſit. Commentaria eruditiſſima, ſuper omnes libros Bibliæ, quibus quadruplicẽ ſenſum ſcripturæ ſacræ exactiſſimè proſequitur, habentur hæc commentaria multis voluminibus magnis contenta, in membranis conſcripta Pariſiis in conuentu noſtro. Cumque in eodem conuentu & extra illum in ea vniuerſitate ſint ac fuerint ſemper viri præſtantiſſimi & doctrina percelebres, & aliòs Rempubl. Chriſtianam iuuandi cupidi, mirum eſt, quòd hunc tam inſignem theſaurum è tenebris eruere, & in lucem dare, operam non nauarint, & adhuc patiantur in tenebris deliteſcere, præſertim cùm theſaurus ſit rarus & pretioſus valdè, ac dignus, vt per eum quiuis princeps quodammodo immortalis reddatur, ſi tantum beneficij Reipublicæ Chriſtianæ conferret, vt illum emitti in lucem cum effectu mandaret. Scripſit etiam



*Super 4. libros ſentent.*
*Lib. hiſtoriarum, qui dicitur, liber bellorum Domini.*
*Lib. vnum de poteſtate Papæ.*
*Lib. ſeu tract. de audientia confeßionum.*
*Lib. 1. quæſtionum multarum.*
*Quodlibeta varia.*
*Sermones de tempore per totum annum.*

Lib. ſeu tract. de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis: qui liber fuit impreſſus Pariſiis, anno Domini 1506. Multa alia ſcripſiſſe fertur. Obiit in regno Cypri: & ibi tãquam beatus habebatur, vt aliquorum relatu accepi. Claruit Sixto Senenſi in ſua Biblioth. anno 1350. Abbreuiatori Geſneri annno Domini 1300. Alberto Veneto & aliis, anno 1261. Aliis verò, anno Domini 1290.

Attamen in quodam libro manu-ſcripto & ſatis peruetuſto, quo nonnulla noſtrum ordinem concernentia habentur ſcripto mandata etiã ab

initio ord. qui penes reuerendos patres Prouinciales Aragoniæ manere ſolet, & cum mihi reuerendus pater magiſter, vir humanus admodum & religione præſtans, ac doctrina non ignobilis, frater Michaël de Rubinath illius prouinciæ tunc moderator conceſſit ad horas aliquot anno Domini 1577. Barchinonæ, legi eundem Paludanum Pariſiis fuiſſe promotum ad licentiarum gradum anno Domini 1314. Ideò ad annum Domini 1320. referendum eſt quòd tunc claruerit.

Frater Petrus Kalo Elugienſis, vir pius, religione præſtans, & doctrina non ignobilis, compilauit admodum diffusè ex diuerſis Chronicis, præſertim ex Chronica fratris Stephani de Salanacho, & fratris Bernardi Guidonis, & ex lib. qui dicitur

*Vitæ fratrum noſtri ordinis.*
*Vitam B. Dominici patris noſtri.*

Legendarium quoque Sanctorum conflauit, non tantùm eorum qui ſunt in Eccleſia celebres, ſed etiam eorum quorum vix regulariter notitia habetur. Plura eius ad meam nõ venere notitiam. Claruit anno *

Frater Petrus Polonus, magiſter in Theol. ſuo tempore doctiſſimus, & in ſacrorum voluminum lectione exercitatus, ſcripſit. Expoſitionem præclarem in Euangelium Lucæ. Et nonnulla alia, quæ non vidi: & frater Petrus Galdinus de Bononia, vir ſuæ religionis ac doctrinæ merito venerandus, ſcripſit ſerm. de tempore, & de Sanctis. Et quidem huius fit mentio in illo libro recollecto ex patrum ſententiis ad probandum Conceptionem B. Virginis, &c. qui incipit, Veritatem meditabitur, &c. & creditur eſſe Bandelli, &c. Primi autem horum duorum fit mentio P. P. *mon. ord.*



Frater Petrus Forracha Genuenſis, qui claruit circa annum 1310. vir curioſo ingenio donatus, & eruditionis non vulgaris compoſuit Summam copioſam ad omnes materias per alphabetum, & dicitur Compendium donorum. Quòd plura ſcripſerit, me præterit.

Frater Petrus Nigri natione Germanus, magiſter in Theolog. præclarus, & doctrinæ D. Tho. admodum diligens ac ſollers ſectator, ac defenſor egregius, neque infimè doctus, ſiue experimentum de illo quis ſumere velit in Ariſtot. doctrina, ſiue in aliis, ſcripſit in defenſionem doctrinæ S. Thomæ librum qui dicitur Clypeus Thomiſtarum. Fuit impreſſus Venetiis, anno Domini. 1481.

Frater Petrus Antonius de Viterbio, vir ingenio optimo præditus, orator egregius, in humanioribus litteris non ignobiliter verſatus, & in diuinis non infimè tritus, compoſuit (teſte Alb. Veneto) cap. vltimo ſuæ (Chronicæ) Serm. plures. Claruit circa annum. 1484.

Frater Petrus Hieremiæ, natione Siculus, vir ingenio clarus, eloquio facundus, vitæ probitate conſpicuus, in concionibus ad populum ſuo tempore celebris, & vndequaque doctus, ſcripſit Serm. de tempore per annum.

*Serm. de Sanctis.*
*Serm. Dominicales.*
*Serm. de Pœnitentia.*
*Serm. de peccatis.*

*Serm. de fide.*

*Serm. de paſsione* Domini.

*Serm. 25. ſuper orationem* Dominicam. *abſolutiſſimos & eruditione refertos.*

Vixit autem anno. 1444. vt de illo refert frater Thomas Fazellus Siculus, lib. 2. de rebus Siculis dec. 1. cap. 4. Cui proinde eſt credendum potius, quàm Leādro Bononienſi in lib. de Vir. illuſtr. ordinis, dicenti, quòd obijt anno. 1434.

Frater Petrus de la Maldura, ſacræ Theol. profeſſor eximius, vir abſolutè doctus, qui Bononiæ philoſophiam & Theologiam profeſſus fuit publicè & glorioſè, & fuit noſtri ſtudij Bononienſis regens digniſſimus, ſcripſit, opus vnum quo D. Tho. libros omnes vno tantùm veluti compendio multo ſtudio complexus eſt. Plura alia edidiſſe fertur. Claruit anno. 1470. *Supplem. Chronic.*

Frater Petrus Ranzanus (aliis eſt Razanus) natione Siculus, patria Panormitanus, fuit epiſcopus Lucerinus, fuit orator inſignis, poëta clarus, & Theologus illuſtris. Cuius proinde fama percelebri motus Ferdinandus rex Neapolitanus, eum aſciuit, & filio ſuo præceptorem præfecit. Scripſit autem ſtilo comto, & non triuiali, vitam D. Vincentij Valentini, & eam tribus libris diſtinxit. Scripſit etiam librum de ciuitate Panormo, illius antiquitatem demonſtrando: vt autor & frater Thomas Fazellus, lib. 8. de rebus Siculis, dec. 1. Scripſit etiam annales omnium temporum, quos tamen morte præuentus non compleuit. Claruit anno *

Frater Petrus Bergomenſis, ſacræ Theol. profeſſor, vir ſua ætate vita & eruditione clariſſimus, & in doctrina D. Tho. excellenter fundatus, compilauit ſummo ſtudio, & induſtria haud vulgari illud inſigne op⁹, quod Tabula D. Tho. dicitur. Qua ordinauit quicquid ſparſim in omnibus. D. Tho. operibus, continetur, & eam conſulendo quiſque quicquid D. Tho. docuit, ex illa habebit facillimè. Cócordātias etiā dictorū S. Tho. quib⁹ ſibi ipſi aduerſari videtur, parauit, illius dicta conciliando, & quòd non diſſonent ſenſu, etſi prima verborum facie videantur diſcrepare dilucidè declarauit. Continet autem hoc opus concordantiarum talium 1222. dubia cum totidem ſolutionibus. Collegit etiam indicem quo omnes ſcript. ſacræ authoritates, variis in locis à D. Thom. expoſitas complexus eſt. Ex iſtis deſumpti ſunt indices, ſcilicet generalis, & ſcripturarum, qui quorundam Theologorum Louanienſium opera D. Thomæ ſummæ Theologicæ per Plantinum excuſæ, appoſiti ſunt. Claruit anno 1480.



Frater Petrus de Clauſia, qui dicitur Scalo, & frater Petrus Penenſis Apruitinus, viri bonarum litterarum non ignari, diuinæ & ſæcularis Philoſophiæ notitia non obſcuri, ad poſteros tranſmiſſere, ille legendas Sanctorum plurium, quas diffusè compilauit, etiam nonnullorum quos Iacobus de Voragine prætermiſerat, & huius author eſt D. Antoninus 3. p. hiſtoriæ, titu. 23. cap. 11. Hic verò ſcripſit lib. in 22. capita diſtributum, quo terram Sanctam deſcripſit, quomodo illa fuerit perdita, & recuperari poſſit, recenſens.

Frater Petrus Bruxellenſis, vel Crocharch, magiſter in Theol. vir bonarum litterarum notitia coornatus, ſcripſit

*In dialecticam Ariſt. commentarios.*
*Super Petrum Hiſpanum adnotatiunculas.*
*Super lib. Phyſic. Ariſtot. commentaria & quæſt. eruditas.*
*Super lib. de Anima Ariſtot. etiam comment. & quæſt.* Liber fuit impreſſus Pariſiis, anno 1510.

Et illi præmittitur dialogus inter fratrem Ioannem Anglicum & Aymedeum Meigretium, in Philoſophiæ commendationem Claruit anno*

Frater Petrus Kuquius, natione Hiſpanus ex regno Nauarræ, vir in ſtudiis diligens, in lectione diuinarum litterarum aſſiduus, & in omnibus aliis non ineruditus. compilauit ex 4. Euangeliis librum vnum, quem ſeriem ſacri Euangelij Ieſu Chriſti, prænotauit. Et fuit liber impreſſus in Hiſpania. Plura eius non recenſet in ſua Bibliotheca Sixtus Senenſis. Claruit anno*

Frater Petrus de Sotto, natione Hiſpanus, ſacræ Theolog. profeſſor eximius, vir magni iudicij, & regularis vitæ obſeruantiſſimus, & tam in Ariſtot. & Scholaſticorum doctrina, quàm etiam in ſacris literis & ſanctorum patrum lectione inſigniter verſatus fuit. Qui & Carolo 5. Imperatori inuictiſſimo fuit à ſacris confeſſionibus ad annos aliquot: ſed poſtmodum præeligens tranquillam vitam & conſcientiam puram & integram ſeruare, imperatoria maieſtate relicta ad pauperum Chriſti pauperem vitam, quam delegerat, redijt. Tridentino Concilio ſub Paulo 3. celebrato interfuit, & ex præſenti vita in



[..]co migrauit ad dominum: reliquit autem poſteris hæc ſui ingenij & eruditionis monumenta præclara.

*Librum de inſtitutione ſacerdotum.*
*Chriſtianæ inſtitutionis libros tres.*
*Lib. contra confeſſionem Vuitembergenſem.*
*Catholicæ doctrinæ compendium.*
*Methodum confitendi, & nonnulla alia.*

Frater Petrus Martyr, patria Gareſinus, à familia dicta Morallus, vir haud ineruditus, & concionator non vulgaris, & in ſtudijs non parum diligens, edidit Latino ſermone dialogum in nouem diſtributum partes, cui titulus eſt Collyrium mẽtis. Liber fuit impreſſus* Eundem lib. è Latina lingua in Italiam vertit. Impreſſus fuit Genuæ. Alium lib. edidit, quem prænotauit Compẽdium frequentiæ diuiniſſimi Sacramenti. Qui fuit impreſſus in Monte regali. an. 1570. Aliũ de modo vero præparandi ſe ad deuotè cõmunicandũ. Libellum de virtute humilitatis, quem dicauit Duciſſæ Sabaudiæ, etiam fuit impreſſus. * Alium cuius eſt titulus, Modus reſolutus ac breuis recitandi & contemplandi ſanctiſſimum Roſarium. Lib. impreſſus fuit anno 1573. Compoſuit etiam 30. contemplationes de inferno, De paſſione Domini, & de gloria cæleſti. Liber fuit impreſſus Vorcellis anno 1563. Vixit adhuc anno 1575.

Frater Petrus Couaſruuius, natione Hiſpanus, magiſter in Theologia, vir non vulgariter doctus, & diuini verbi declamator egregius, edidit Sermonum duo volumina docta, aliud hiemalium

ſermonum, aliud verò æſtiualium volumen. Hos ſermones reuiſit vir ille clariſſimus & totius Hiſpaniæ lumen præclarum, frater Franciſcus de Victoria. Claruit anno 1520.

Frater Petrus Martyr, natione Hiſpanus, magiſter in Theologia, vir doctrina & religione præſtans, nunc verò Cluenſis Eccleſiæ paſtor ſedulus (ciuitas eſt in regno Cathaloniæ,) & concionator gratioſus. Quantæ autem fuerit doctrinæ, vniuerſis manifeſtum effecit, ſcribendo librum qui dicitur, Directorium Curatorum. Qui in 8. fuit Barchinonæ impreſſus, primùm Latina lingua, & poſtmodum in vulgarem conuerſus. Alium librũ etiam edidit, idiomate vulgari, qui inſcribitur Doctrina Chriſtiana. Alium etiam librum compoſuit de Sacramentis. Sed hic nondum eſt typis datus, quòd ſciam. Viuebat adhuc anno 1577.

Frater Petrus Paulus Aretinus, qui fuit Magiſter ſacri palatij, & Concilio Tridentino interfuit, ibique fuit magni æſtimatus, propter ingenij, religionis, & doctrinæ præſtantiam non vulgarem, compoſuit Commentaria ſuper Philoſophiam Ariſtot. Tract. etiam aliquos in Theologia. Vixit circa annum 1555.

Frater Petrus cognomento Deauratus, natione Gallus, conuentus Bleſenſis congregationis Gallicanæ, M. in Theolog. Pariſiẽſis, vir longè doctiſſimus, qui Theologicum ſtudium noſtri ordinis Lutetiæ per plures annos fructuosè & laudabiliter rexit, & Illuſtriſtriſſimam Principem & Duciſſam D. Antoniam à Borbonio, Chriſtianiſſimorum Principum à Guiſia matrem, multóſq; alios principes ſanguine regio procreatos ſuis ſacris, doctiſſimis, & facundis concionibus per multa temporum interualla multùm ædificauit, Prioratum à Valle-collium (qui caput eſt illius ordinis) adeptus fuit & gubernauit multa cum laude & religione: & poſteà illi renuncians Lutetiam redijt ad Fratres ſui prædicatorij ordinis, & ibi poſt multos labores pro Domino aſſumptos obdormiuit in pace. Quæ autem in communem omnium conſcripſit vtilitatem idiomate Gallico, ſunt quæ ſequuntur, Super Pſalmum illum, Eructauit cor meum verbum bonum, &c. duos libellos De diuinis beneficijs. Collegium ſapientiæ. Libellum cui titulum fecit, Conſeruationem gratiæ. Teſtamentum amoris. Arcam fœderis. Cæleſtem cogitationem. Lampades, vel candelabra fidei diuinæ. Obiit anno Domini *



Frater Petrus Diuolé natione Gallus, conuentus Antiſiodorenſis prouinciæ Franciæ, doctor Theologus Pariſienſis lõgè eruditiſſimus, & tam zelo animarum, quàm religionis præſtantia inſignis, qui & ſuo natiuo conuentui, & toti prouinciæ Franciæ præfuit non minùs fructuosè, quàm honeſtè, & ſuis concionibus ſacris facundia, & doctrina refertis, & vbiq; gratiſſimis, magno ſpiritus feruore hæreticorum, vineam Domini per totam Galliam demolientium, peruerſa dogmata impugnãs, Catholicæ fidei cultores in ſyncera fidei religione roborauit, & rectam veritatis viam perdocuit. Quæ autem ille ſui ingenij & eruditionis monumenta tranſmiſerit ad poſteros præter concionum volumina nec dum conſequutus ſum. Obiit Pariſiis in conuentu noſtro, & eſt in choro ſepultus, anno Domini. *

Frater Petrus Bachierius, natione Flander conuentus noſtri Gādenſis filius, magiſter in Theol. vir in politioribus litteris tum Græcis, tum Latinis exactè doctus, ſacrarum non expers, in concionibus ad populum inſignis reputatus. quippe qui nouis & exquiſitis rebus delectatur & delectat, communiter auditores, qui etſi ſit in alijs eruditus, in Hiſtoriis tamen eſt admodum tritus, ſcripſit Quadrageſimale vnum ſuper epiſtolas, Fuit impreſſum Louanij. Libellum etiam præcationum ex ſacra ſcriptura & ſanctis patribus collegit in piorum fidelium vſum. Qui fuit in linguam Flandricam, & Gallicam verſus. Nonnulla alia ſcripſiſſe fertur. Viuit adhuc iſto anno 1584.

Frater Philippus de Peira, vir linguarum peritus, & in aliis exercitatus, ſcripſit contra errores Græcorum Latino & Græco ſermone. Et frater Philippinus de Ferraria, vir in Ariſtot. doctrina & in Theologica non infimè doctus, ſcripſit librum & quæſtiones, ſuper tractatum M. Petri Hiſpani. Narrationes etiam & fabulas ad omnem ſtatum & materiā. Claruere ambo circa annum 1310. *Alb. Ven.*

Frater Philippus Meneſius, natione Hiſpanus, ſacræ Theol. præſentatus, & regens in collegio S. Gregorij Valliſoletano, vir ingenio, & religione, ac doctrina præſtans, ſcripſit Hiſpanico ſermone, libellum in defenſionem, declarationem, & augmentum confraternitatis nominis Dei: Qui eſt in quatuor partes diuiſus. Fuit Antuerpiæ impreſſus anno 1569. Huic autem aſſociare lubet fratrem Philippum, natione Trinacrum, patria Syracuſanum, magiſtrum in Theol. eruditione



eximium, qui (vt in 5. p. mon. ord. dicitur) ſcripſit tempore Sixti 4. librum quendam eruditum. Vixit anno 1480.

Frater Placidus, vir ſpectatę famæ & eruditionis, & in ſacris litteris aſſidua lectione doctus, ſcripſit Commentaria in Pſalmos, fuerunt impreſſa Venetiis, anno Domini 1559. Scripſit etiā commentaria in Epiſt. ad Rom. & nonnulla alia. Vixit anno 1556.

Frater Ptolomęus de Lucha, qui fuit primò diſcipulus D. Thomæ, & poſteà Epiſcopus Torſellanus, (vt ait D. Antonin. 3. p. hiſt. tit. 18. cap. x.) vir fuit in humanis & ſacris litteris egregiè inſtructus, veterum verò hiſtoriarum diligentiſſimus perſcrutator, compilauit,

*Hiſtoriam Eccleſiaſticam nouam.*

*Hiſtoriam tripartitam nouam.*

*Librum de regimine principum, & nonnulla alia.*

*Chronicam de ſummis Pontificibus & Imperatoribus vſque ad ſua tempora.* Claruit circa annum 1268. P.P. *mon. ord. & Leand.*

Frater Raimundus de Pena-forti, natione Cathelanus, patria Barchinonenſis, vir etiam ante ord. ingreſſum fuit in iure Canonico periti ſſimus, & multùm famoſus, in ordine autē euaſit Theologus egregius, qui & totius noſtri ord. moderator fuit prudentiſſimus, & regularis obſeruantiæ cultor præſtantiſſimus, ſed & generalatui ceſſit, & Archiepiſcopatum ſibi oblatum Terraconenſem à Greg. 9. ſummo Pontif. acceptare renuit. Cuius ſummi Pontif. iuſſu Decretales, quæ diſperſæ erant, in vnum volumen, in lib. 5. diuiſum, diligentiſſimè collegit & diſtinxit. Compilauit

etiam ſummam de caſibus conſcientiæ. Summam quoque de pœnitentia & de ſponſalibus. Conſtitutiones noſtri ord. quæ ſparſæ erãt, etiam in formam debitam redegit. Citatur & ſcriptum eius, De bello & duello. Obiit Barchinonæ. miraculis clarus, anno Domini 1275. ipſo die Epiphaniæ & illius feſtum altera Epiphaniæ Domini celebratur in regnis Cathaloniæ, Aragoniæ, & Valentiæ.

Frater Raimundus Capuanus, Magiſter in Theol. eruditiſſimus, qui & fuit noſtri ord. moderator vigilantiſſimus, vir in humanis & ſacris litteris haud vulgariter eruditus, & vita ac religione conſpicuus, qui quantæ fuerit eruditionis etiam poſteritati demonſtrat in ſcriptis quæ ad illam trãſmiſit. Scripſit enim librum vel tractatum inſignem ſuper Cantic. Magnificat. vitam D. Catharinæ Senenſis ſcripſit, cui ille per plures annos fuit à ſacris confeſſionibus. Compoſuit etiam officium Viſitationis B. Virginis Mariæ. Vitam quoque D. Agnetis de Monte Politiano, quæ fuit ſanctimonialis noſtri ordinis. Etiam ſcripſit Epiſtolas exhortatorias ad diuerſos, doctas & deuotas. Obiit Norimbergæ, anno Domini 1399.
Et poſteà tranſlatum fuit corpus eius Neapolim ad conuentum noſtrum S. Dominici, & ſepultum à latere vno altaris maioris. *P. P. mon. ord.*

Frater Raimundus Martini, natione Cathalanus, patria Barchinonenſis, vir linguarum notitia clarus. Nam Latinæ, Hebrææ, Arabicæ & Chaldaicæ erat peritus, in ſæculari philoſophia & diuina valdè eruditus. Scripſit, Summas aliquot contra Alcoranum Sarracenorum. Scripſit etiam opus compendioſum contra Iudæos; illud autem vocauit, Capiſtrum Iudæorum. Compoſuit & aliud opus contra eoſdem, & dicitur Pugio. de diuerſitate errantium à via ſalutis. Et hoc opus Latinè & Hebraicè propria manu ſcripſit. Latinum autem diſtinguitur in 3. partes præcipuas. Et prima quidem vigintiſex cap. 2. verò 15. Tertia verò 43. complectitur. Habetur autem hic Pugio (& in eo fit mentio prædictorum operum) manuſcriptus Neapoli, in conuentu noſtro Sancti Dominici. Claruit anno *

Frater Rainerius Sachonus Placentinus, vir apprimè eruditus in Theologica doctrina, & in Ariſt. non infimè, in iure quoque Canonico verſatus non modicùm, primò degit in tenebris, & fuit cæcorum dux quoque cæcus & hæreticorum epiſcopus, ſed Dominus ſuæ miſericordiæ viſcera erga illum aperiens, eum ab his errorum tenebris ad fidem conuertit, & vt noſtri ordinis habitum ſuſciperet, illi inſpirauit, in quo plurimùm profecit, & hæreticorum Cenſor factus, per Lombardiam multa pro fide Chriſti pertulit. Scripſit ſummam præclaram contra hæreticos. Plura alia ſcripſiſſe fertur, ſed non vidi. Claruit anno 1254. *P. P. mon. ord. & Leand.*

Frater Rainerius Piſanus, vir religione conſpicuus, iuris Canonici notitia clarus, & in aliis eruditus & multùm venerandus, ſcripſit opus illud non aſpernandum, quod inſcribitur Pantheolo-

gia: quaſi vniuerſa quæ ad Theologiam ſpectant, eo in opere comprehendantur. Summam etiam quæ interdum ſolet dici Ramerina, in qua omnes caſus ſecundum ordinẽ alphabeti poſuit, & duobus magnis voluminibus continetur in folio, & fuit impreſſa Norimbergæ anno 1473. Venetiis anno 1486. Et Lugduni anno 1519. Nonnulla alia ſcripſiſſe fertur, quæ non vidi. Claruit anno 1414.

Frater Rainaldus (alijs Reginaldus) D. Thomæ olim diſcipulus & comes fidiſſimus, vir ſacrarum litterarum ſtudio feruens, & in illis acquirendis diligentiſſimus, D. Thoma docente excepit ab ore eius, illius commentaria à cap. 5. vſque ad finem Euangelij Ioannis, quæ poſtmodum D. Thomas videns approbauit, & vt ſua haberi voluit & legi, & nunc ſub tit. D. Thomæ circunferuntur. Idem quoque fecit ſuper plures epiſt. Pauli, D. Thoma eas interpretante. Super libros de Anima, idem præſtitiſſe memoratur. Id teſtatur D. Antonin. 3. p. hiſtor tit. 18. cap. x.

Frater Ramantinus, natione Florentinus, vir ingenio prõptus, bonarum litterarum non ignarus, philoſophiæ Chriſtianæ & ſæcularis notitia inſignis, ſcripſit ad Vrbanum 5. librum, qui dicitur Paſchale, in quo Calendarium correxit. Iuſſu etiam Clementis 6. Commentarij optimis Senecam illuſtrauit, vt de illo refert Leander Bononienſis, lib. 4. Claruit anno 1350. *P. P. mon ord.*

Frater Raphaël de Pronaſio Genuẽſis, magiſter in Theol. vir qui & propter ingenij, & religionis præſtantiam, & eruditionem non vulgarem, publicis præconijs celebrari meritò debet, Scripſit, librum de Concept. B. Virginis Mariæ. Tract. de proprio non habendo. Aliquos alios tract. compoſuit, qui dicuntur haberi in noſtro cõuentu Genuenſi. Claruit an. 1465. *P. P. mon. ord.*

Frater Raphaël Sõcinas iã ferè memoria exciderat, vt ad conſeſſum virorũ inſigniũ huc vocaretur, & illum ſua præſentia & opinione clara doctrinæ & religionis adaugeat & decoret amplius, quòd enim ille opuſcula varia cõſcripſerit, refert Leander Bononienſis, lib. 4. de viris illuſtr. ord.

Frater Reginaldus de Aceto, Neapolitanus, magiſter in Theol. vir conſilio prouidus, rerum agendarum peritia clarus, bonarum litterarum non ignarus, & diuinarum atque Scholaſticæ doctrinæ benè peritus, Edidit librum, qui inſcribitur Theſaurus linguæ vulgaris. Fuit impreſſus Neapoli & dicatus Reuerendiſſimo Paulo Iouio, Epiſcopo Nucerino. Edidit & expoſitionem anni ſancti Iubilæi, quam Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Neapolitano dicauit. Compoſuit etiam Italicè tractatum de cælibatu. Opuſcula etiam aliquot Italicè compoſuit, ad inſtructionem eorum qui Italicum idioma purè & nitidè ſonare cupiunt, vt de punctis ſeruandis in lingua Italica, De Rhetorica noua, de ſpiritualibus diuitijs militantis Eccleſiæ, &c. Viuebat adhuc anno 1577. Neapoli agens in conuentu noſtro S. Petri.

Frater Remigius Nannius Florentinus, ſacræ Theologiæ profeſſor, vir ingenio felix, doctrina clarus, in ſacris litteris & in hiſtoriis non modicùm verſatus, Compoſuit Adnotationes quaſdam in Veteris teſtamenti libros, & in eis accuratè deſcripſit animalium, plantarum, lapi-

dum & montium, ac ſimilium rerum naturas, quarum fit in ſacra ſcriptura mentio. Volumen etiam fecit ſcholiorum Italico ſermone, in epiſtolas & Euang. totius anni. Pſalmos etiam Dauidis Etruſco ſermone, carminibus cōplexus eſt. Claruit anno 1560. *Sixtus Senenſ. in ſua Biblioth.*

Frater Remigius Florentinus, vir ſtudiorum amantiſſimus, ingenio & doctrina non ignobilis, collegit ex præclaris Doctoribus qui de hiſce argumentis ſcripſerant, volumen vnum in duos libros diſtinctum, in quo tractatur De Summi Pontificij authoritate. De Epiſcoporum reſidentia. De beneficiorum pluralitate. Liber eſt in quarto impreſſus Venetiis, anno 1562. & dicatus illuſtriſſimo D. Cardinali Morono. Hunc eundem patrem, aut præcedentē, arbitror hiſtoriam vniuerſalē Italicè conſcriptā à Ioanne Villano & à Matthæo Villano Florentinis, correxiſſe. & adnotatiōibus marginalibus nōnihil illuſtraſſe.

Frater Richardus Caſtriconenſis, natione Anglus, magiſter in Theologia, & frater Richardus Phiſaya etiam Anglus, viri ſingulari obſeruantia digni ac multùm venerandi, doctrinæque fama ſpectabiles, & vti ambo in diſceptationibus Scholaſticorum diſſoluendis egregij, ſic quoque in ſacris litteris aſſidui, Nomina ſua apud poſteros nota reddiderunt, ſcribendo ſuper quatuor libros ſentent. ſua ſingula commentaria non contemnenda, ille autem etiam ſcripſit ſuper Apocalypſin Ioannis moraliter, & ad litteram. Clauerunt circa annum 1270. *Alb. Ven.*

Frater Richardus Strauanellius, & alter etiam Richardus cognominatus occurrunt, viri certè quos meritò poſteritas omnis iure optimo debet venerari, quia non ſolùm vitæ probatæ fuerunt, ſed & doctrinæ ſpectatæ & multarum rerum cognitione clari, & ille quidem compoſuit concordantias admodum copioſas ſuper totam Bibliam: quæ in conuentus noſtri Pariſienſis Bibliotheca cōmuni haberi dicūtur, & vocātur cōcordantiæ Anglicanæ. Hic verò compoſuit librū vnū de Virtutibus. Alium verò de interpretionibus vocabulorum Veteris Teſtamenti: & ille quidem claruit anno 1295. Hic verò anno *

Frater Richardus (alijs eſt Richoldus) Florentinus, cùm in Aſiam peregrinationem ſuſciperet, linguæ Arabicæ notitiam adeptus, Alcoranum conuertit, & contra illum commentarium edidit, qui incipit, Quot ſunt dies ſerui tui, &c. Quem Demetrius Sidonius poſtmodum in Græcum tranſtulit. Confutatio Mahumetanæ legis tranſlata ex Latina lingua, in quam eam Barbarè tranſtulerat Richardus, in Græcam per Sidonium, poſteà per Bartholomęum Picenum de Monte arduo, è Græca in Latinam, ſed ornatam & comptam fuit verſa, & Ferdinando regi Aragoniæ dicata. Excuſit eam Oporinus Baſileæ cum Alcorano, Græcis & Latinis è regione poſitis. Et liber inſcribitur, Improbatio Alcorani, & continet 17. capita in quibus & errores Sarracenorum refert, & modum quo contra illos ſit diſputandum, docet, & multa alia vtiliſſima. Fuit etiam hic liber excuſus Hiſpali, anno 1520. Claruit anno 1195. *Hæc hiſmet verbis Abbreuiator Geſn.*

Frater Richardus Clapoel, natione Anglus,

vir ad arguendum acutus, ad difficiles quæſtiones enodandum aptus, nec minùs in Theologicis inſtructus, quàm in Philoſophicis, in his verò non mediocriter ſui ingenij & eruditionis ſpecimen fecit poſteris, ſcribendo,

*Comment. ſuper 4. libros ſentent.*
*Aduerſus Corruptorium D. Tho. libros 4.*
*Librum vnum, De immediata Dei viſione.*
*Lib. j. de vnitate Formarum.*

Claruit Abbreuiatori Geſneri anno Domini 1310.

Fratrem Richolfum de Colonia, virum literaturæ præſtantis, refert frater Albertus Venetus in ſuo Chron. ſcripſiſſe lecturam egregiam ſuper quatuor libros ſententiarum, & claruiſſe circa annum 1355.

Frater Robertus Kamuil Vertim, natione Anglus, magiſter in Theologia. Vir fuit proculdubiò inter ſuæ ætatis celebres viros, doctrinæ omnis generis opinione celeberrimus, & primò Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & poſtmodum Rom. Eccleſiæ factus Cardinalis, nomen ſuum etiam immortalitati aliqualiter conſecrauit, ſcribendo

*Super 4. libros ſentent.*
*Opuſculum de Sacr. altaris.*
*Aliud de ortu ſcientiarum.*
*Aliud de natura relationis.*
*Aliud de vnitate formarum.*
*Aliud de conſcientia.*
*Aliud de rebus prædicabil.*
*Super prædicam. Ariſtot.*



*Super prædicab. Porphyr.*
*Super omnia parua natural. Ariſt.*
*In lib. 6. Principiorum.*
*In lib. Priorum & Poſter. Ariſt.*
*Super lib. Phyſic. & de cælo, Ariſt.*
*Super lib. de generat. & corr.*
*Libros de anima eiuſdem.*
*Super lib. Metaphyſicæ.*
*Super Boëtium.*
*Super Priſcianum.*
*Sophiſticam Logicalem etiam ſcripſit, & Sophiſticam Grammaticalem.*

Obiit Viterbij anno 1288. *P. P. mon. ord.*

Frater Robertus Ribuerbius, natione Anglus, qui ante ingreſſum ordinis erat Pariſijs Metaphyſicæ profeſſor inſignis & famoſus, ad religionis habitum ſuſceptus, ab illo viro ſanctiſſimo Domino Reginaldo, euaſit in ea Theologus præclarus, Pariſijs ad gradum licentiarum promotus, & poſteà fuit in Anglia noſtri ordinis moderator ſedulus & prudens, vir fuit eximij nominis & famæ ſpectatæ, ſiue illius vitæ regularis obſeruantiam, ſiue in ſacris litteris exercitium ſpectes, ſiue multiplicem rerum omnium cognitionem. Huic à nonnullis aliqua pars opuſculorum, quæ iamiam recenſui, in præcedentis Roberti mentione tribuuntur: forſan vnum & eundem fuiſſe putarunt. Huic itaque Alb. Venetus in ſuo Chron. tribuit quòd ſcripſerit

*Lib. j. de differentia ſpiritus & animæ.*
*Super Epiſt. ad Romanos.*

*Super Epiſt. ad Corinth.*
*Super lib. de cauſis.*
*Lib. j. de diuiſione ſacræ ſcripturæ*
*Tract. j. de inſtantibus.*

Claruit anno Domini 1240. *P. 4. mon. ord.*

Frater Robertus Eboracenſis, natione Anglus, in philoſophia & Theologia æquè doctus, in qualibet autem facultate doctiſſimus, & diuinarum litterarum valdè ſtudioſus, ſcripſit

*Lib. j. de Magia cærimoniali.*
*Correctorium Alchimiæ*
*Lib. j. de myſterijs ſecretorum.*

Claruit anno 1348. *Epit. Geſn.*

Frater Robertus Holchot, natione Anglus, magiſter in Theologia inſignis: in diuinis litteris multo exercitio doctus, & multarum aliarum rerum peritia illuſtris, nomen ſuum apud poſteros celebre reddidit, in illis: quæ reliquit ſuæ eruditionis monumentis. Scripſit Cōmentaria ſuper quatuor libr. ſentent. Liber fuit impreſſus Lugduni, anno 1518.

*Super Prouerb. Salomonis.*
*Super 7. cap. priora Eccleſiaſtici.*
*Lib. de immortalitate animæ*
*Quodlibeta varia & erudita.*
*Sermones optimos de tempore.*
*Serm. etiam de Sanctis.*
*Quæſt. de vmbra ſtellarum.*
*Quæſtio de naturis & motibus & effectibus ſtellarum.*



*Tractatum de amore librorum ad Epiſcopum Dilmonenſem, inſcribitur*

Moralizationes hiſtoriarum libro vno completus eſt. Etiam ſcripſit opus inſigne pro Chriſti verbum euangelizantibus moralizatum, & habetur cum eo Tabula aurea D. Thomæ ſuper euangelia & epiſtolas totius anni, qua quæſtio & art. deſignantur. Fuit liber impreſſus Pariſijs in octauo anno 1510. *Abbreuiator Geſn. ponit, & ſequentia.* Scripſit

*Super Eccleſiaſten.*
*Super Matthæum.*
*Super Marcum.*
*Lib. j. de impunitate peccati.*
*Quadrageſimale vnum.*
*Super Lucam.*
*Super Ioannem.*
*Lib. j. de ludo ſcacorum.*
*Lib. j. de libertate credendi*

Et multa alia ſcripſiſſe dicitur. Multa opuſcula ex iſtis impreſſa ſunt tum alibi, tum Venetijs, anno Domini 1500.

*Hæc ex 5. & p. parte mon. ord. in quibus etiam dicitur, quòd obijt anno 1349. & conſentit Abbreuiator Geſn. ideò mirum eſt, quòd Leander Bonon. affirmat lib. 4. quòd obijt anno 1314.*

Frater Robertus Humbletom, natione Anglus, vir commendatione dignus ob ingenij præſtantiam, in litteris ſacris exercitium, & in alijs doctrinam ſingularem, ſcripſit Sum. Theol. librum Lectionum Scholaſticarum, lib. j. Lib. j. aduerſus Vvicleſitas. Plura alia ſcripſiſſe dicitur. Vixit anno Domini 1390. *Epit. Geſn.*

Frater Rodolphus Orphodius, vir cùm ingenij, tum etiam doctrinæ præſtantia ornatus, D. Tho. doctrinæ defenſor egregius, ac famæ ſuæ ſpectabilis, nitore clarus, ſcripſiſſe fertur pro illius defenſione contra Henricum à Gandauo, contra Ægidium & alios. Claruit anno 1290. Et falluntur qui eum ad annum 1242. referunt. P. P. *mon. ord.*

Frater Rolandus Cremonenſis, qui mox circa noſtri ord. primordia, cùm foret Bononienſis moderator ſcholæ, & profeſſor publicus, ſæculi vanitate contempta noſtrum ordinem intrauit, & poſteà fuit miſſus Pariſios ad perlegendum Theologiam, & ibi fuit primus ex noſtro ordine ad doctoralem gradum euectus, vt in ſuo Chronico refert Galuanus, & fuit tam in Philoſophia, quàm in Theologica doctrina eruditiſſimus, morum honeſtate & religione celebris atq; conſpicuus. Scripſit autem ille Sũmam Theol. vtiliſſimam. Quòd plura ſcripſerit non legi. Claruit autem vſque ad annum 1259. P. P. *mon. ord.*

Frater Romanus de Vincentia, vir vtcunque eruditus, Dei præco gratioſus & vbique gratus, & multos ſuis cōcionibus erudiuit, viua voce ſedulos ac feruore plenos pro grege Domini emittendo latratus; & poſteros etiam erudit per ſermones prædicabiles, lectu non indignos, quos miſit ad eos, Vixit circa annum 1295. *Alb. Ven.*

Frater Romæus Caſtelloneus noſtri totius ord. moderator vigilantiſſimus, vir ingenio acri & libero præditus, prudētia inſignis, rectitudinis amator integerrimus, doctrina clarus, & in ſcripturis ſacris ſatis exercitatus, ſcripſit lib. j. de fide & operibus eruditum. Alium de immortalitate animæ. Plura eius non vidi. Vixit adhuc anno 1551.



Frater Rubertus vel Rupertus, natione Anglus, vir etſi in aliis non vulgariter doctus, in ſcripturis tamen euoluendis ſedulus, & earum fidus interpres. In cuius rei teſtimonium videantur, poſtillæ, quas poſteris ſcripto mandatas reliquit,

*Super Iob.*
*Super Lucam.*
*Super Danielem.*
*Super Ioannem.*
*Super Matthæum.*

*Haberi autem poſtillas has* Bononiæ *in conuentu noſtro, author eſt* Sixtus Senenſis *in ſua Bibliotheca.*

Claruit anno Domini *

Frater Rubertus * vir in ſacris literis, & in aliis non ignobiliter doctus, poſteros volens ſua iuuare doctrina vt iuuit viuos, cum illis degens, viua voce, ſcripſit

*Super 4. lib ſentent.*
*Serm. de tempore, lib. 1.*
*Serm. de Sanctis lib. 1.*
*Plures etiam lib. Ariſt. commentatus eſt.*

Vixit anno 1320. *Tritem. & epit. Geſn.*

*Idem abbreuiator Geſneri, tanquam diſtinctum à prænominato* Roberto Holchot, *refert* Rupertum Holchot, *ſed quòd vnus & idem ſit, tam ex opuſculorum numero & qualitate, quàm ex circunſtantia temporis conuincitur. Si tamē quis alium & alium fuiſſē, pro indubitato habeat, hic etiam ſi huius* Ruperti Halchot *& apertam illius mentionem hoc loco inſerendam velit, non erit mihi ingratum.*

Frater Galuus Gaſtera, natione Siculus, patria Panormitanus, qui primò fuit magiſter ſacri Pala-

tij, inde aſſumptus ad generalatum ord. vir fuit rerum agendarum peritia inſignis. conſilio prouidus, & tam in ſæculari, quàm in diuina Philoſophia non ignobiliter doctus. ſcripſit, vitam B. Vincentij Valentini, noſtri ord. Epiſtolas ad diuerſos exhortatorias & doctas. Plura eius non vidi. Obiit anno 1483.

Frater Sanctes-Pagnimus Lucenſis, vir præclaro ingenio ornatus, in ſtudiis valde diligens, & aſſiduus, Græcæ & Hebraïcæ linguarum peritiſſimus, in euoluendis voluminibus ſacris multùm verſatus, & in aliis non vulgariter eruditus, ſcripſit Inſtitutiones Hebraïcas, in 4. lib. diuiſas, impreſſ. Lugduni anno 1526. & earundem abbreuiatio excuſa fuit ibidem, anno 1528. Iſagoges ad ſacras literas lib. 1. Iſagoges ad myſticos ſacr. ſcripturæ ſenſus lib. 18. impreſſ. anno 1528. Tranſlationem etiam fecit vtriuſque teſtamenti ex Hebraïca & Græca veritate ferè ad verbum. Quæ à peritis omnibus cōmendatur quàm plurimùm, lib. etiam compoſuit de interpretamentis Hebraïcarum, Armenarum, & Græcarum vocum quæ in ſacris literis continentur. fuit impreſſus Lugduni, anno 1528. Theſaurum etiam linguæ Sanctæ, ſiue Lexicon compoſuit Hebraïcum. Ex quo non ſolùm vocularum ſignificata, ſed etiam abſtruſiores quoque ſenſus è variis Rabbinorum cōmētariis ſelectos, haurire licet. Impreſſit Gryphius anno 1529. cum indice copioſo Latinarum vocum, in quo quis quam voluerit vocem Latinam Hebraïcè redditam inueniet. Meditatioues etiam Hebraicas, in Pſ. 50. Claruit ſub Clemente 7. & obiit



Lugduni, anno 1541. *Hæc formaliter Abbreuiator Geſn.*

Frater Santius à Porta Cæſar Auguſtanus ex prouincia Aragoniæ, ſacræ Theol. profeſſor eximius, & ſacri Palatij magiſter, vir fuit doctrinæ fama percelebris & concionator egregius, ſcripſit in poſterit. gratiam

*Sermonum de tempore volumen vnum.*
*Sermonum de ſanctis volumen alt. rum, quo ſerm. Paſchales complectitur.*
*Serm. de beata Virgine volumen aliud.*

Obiit Cæſar Auguſtæ, anno 1429.

Frater Santius Arena Florentinus, vir non contemnendæ doctrinæ, & in concionibus ad populum declamandis egregius, ſcripſit Etruſco ſermone librū, cui titulus eſt Prima Strata del Giardino ſpirituale contra la pertinace contura hæreticæ. Fuit libellus impreſſus Neapoli, & dicatus Cardinali Garrafæ. Compoſuit etiam ſecundam partem quam ſimili titulo prænotauit, eamque dicauit Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Montisregalis. Aliqua alia ſcripſiſſe fertur, quæ non vidi. Obiit anno Domini 1576. in Portu-Herculis.

Frater Sebaſtinus de Teuromenio (ciuitas eſt in regno Siciliæ) magiſter in Theol. vir & in Ariſtot. & Scholaſticorum doctrina eruditus, ſcripſit ſuper Philoſophiam tractatus aliquos, prout nonnullorum relatu didici. Vixit anno 1540.

Frater Seraphinus Caballi Brixienſis, ſacræ

Theol. profeſſor eximius, qui anno 1571. fuit noſtri ord. generalis magiſter effectus, vir humanæ & diuinæ Philoſophiæ & multarum aliarum rerum notitia clarus, & eximium religionis noſtræ ſpeculum & exemplar, qui totus (iuxta vim nomenclaturæ ſuæ & proprietatem) igne amoris diuini ardens, religioni inſtaurandæ totus incubuit, in nihilo ſibi parcens, vſque ad anni 1578. diem 21. Nouembris, qui in Hiſpali dum in prouincia Bætica ſui gregis vultum conſiderat, à morte inuida nobis eripitur. Hen heu, quanto cum religiõnis noſtræ detrimento, & quantum religionis noſtræ cultoribus vniuerſis, ſui reliquit deſiderium, & animi mœrorem poteſt ac debet eius mors in omnibus gignere. Prouidè autem dignetur Dominus piiſſimus ſuo dilecto gregi, de paſtore optimo qui totus ſpiritu plenus exemplo vitæ, & cura peruigili paſcat, virga & baculo ſuis temporibus vtẽs, nunc oleum nunc vinum infundendo, & omnia ſatagendo ad ord. noſtri primæuum ſpiritum & nitorem reducere. Scripſit autem, Varias epiſtolas exhortatorias ad benè viuendum, cùm pietate, tum etiam doctrina refertas. Librum Magiſtri Humberti de eruditione religioſorum, & Vitas Sanctorum noſtri ord. ex Surio Carthuſiano collectas in vnum manuale, vt prælo dari curarem, mihi commiſit. Et cuilibet horum opuſculo exhortatoriam præmiſit epiſtolã ad vniuerſum gregem ſibi concreditũ. Ego verò alias addidi, quibus totũ id quod ea in parte præſtiterã, ſuæ. Preuerẽdiſſimę dicabam. Libelli fuerunt impreſſi Louanij anno 1574. & 1574. Confraternitates ſeu ſodalitia ſanctiſſimi nominis Dei & ſanctiſſimi Roſarij B.



Virginis (quæ erat ſua pietas ac in beatam Virginem Mariam deuotio ſingularis) Dei ſpiritu & animarum zelo ductus, mirum in modum dilatari, & Indulgentiarum nouis conceſſionibus à feliciſſimæ memoriæ Pio 5. & à beatiſſimo D.N. Papa Gregorio XIII. locupletari curauit & obtinuit. Officium proprium de feſto Roſarij B. Virginis, ex inſtitutione pia & ſancta Gregorij XIII. ſummi põtif. celebrãdo Dominica prima Octob. fieri iuſſit, & breui cudendum ſperatur. Hãc quoque Bibliothecam ord. noſtri, vt conficiendam ſuſciperem, & me hac in re ſeriò occuparẽ in Dei gloriam, & ord. decus, dum ſuum deſiderium pandit, meis votis conſonum & conceptibus, fuit cauſa impellens non modica. Eruditiſſimum quoque opus D. Ioannis de Turre-cremata Cardinalis ex noſtro ordine aſſumpti, ſuper totum decretum Gratiani, 4. voluminibus magnis contentum recudi. Et commentaria præclara D. Petri de Palude ſuper tota Biblia, quæ habentur Pariſiis, huc vſque nunquam excuſa, in Chriſtianæ reipublicæ commodum, prælo dari ſatagebat, ſed inimica mors inter hæc eum rebus mortaliũ exemit.

Frater Seraphinus Banquellus Florentinus, vir felicis ingenij, & doctrinæ præſtantis, compoſuit Theoremata varia ſuper totam Philoſophiam Ariſtot. Cui aſſociare lubet fratrem Seraphinum Porretanum, lectorum Theol. eruditum, & conuerſatione vitæ mitem & pium, qui librum conſcripſiſſe dicitur, quo omnes ad ſacrificium Miſſæ pertinẽtes cęrimonias luculenter expoſuit. Compilaſſe etiam fertur, commentaria in Pentateuchum Moyſi, ſed quòd ea nondum euulgauit.

Viuebat anno 1577.

Frater Seraphinus de Merodio, qui cum aliquot aliis Patribus religione conſpicuis, in congregatione Apruitina, religioni inſtaurandæ totis conatibus incumbit, vir religione & doctrina ſpectabilis, edidiſſe dicitur circiter 600. Laudes, vel hymnos pios& deuotos, in D. noſtri Saluatoris, & ciuium cæleſtium laudem & gloriam, qui interdum à piis in Florentino Dominio in Eccleſiis decantantur, &c. Serm. quoque conſcripſit de tempore & de Sanctis per annum. Plurium quoque Sanctorum & Sanctarum vitas Italicè. Viuebat abhnc anno 1577.

Frater Sifridus de Arena, vir grauis & venerandus, religione & doctrina pariter, ac ſacrarum litterarum exercitiò decoratus. Qui circa annum 1270. claruiſſe fertur. ſcripſit,

*Super tres nocturnos Pſalterij. &*
*Super Cantic. Magnificat.*

Huic autem coniungatur vt ſocius, frater Sibithon Vienenſis, magiſter in Theol. Vir eruditionis præſtantia egregius, & ſacrarum litterarum exercitio doctus. Qui ſcripſit librum egregium ſuper oratione Dominica. *Alb. Ven. & P. P. mon. ord.*

Frater Sifridus, natione Teuto, vir ingenio ſubtilis, diſputator egregius, ac diuini verbi concionator inſignis, & Hebraïcæ linguæ ac Latinæ valde peritus, & in aliis etiam clarus, qui fuit Cirenſis Eccleſiæ Antiſtes, ſcripſit ad Archiepiſcopum Florentium.

*Librum de Iudæorum vſura.*
*Lib. de cenſibus & reemptione.*



*Lib. 1 ſermonum & collationum*
*Quæſtiones varias, &c.*

Vixit anno 1470. *Tritem. & epit. Geſn.*

Frater Silueſter de Mediolano, vir probus pariter & doctus, ac diuinarum litterarum ſtudioſus valdè, & in Scholaſticis benè exercitatus, ſuæ eruditionis ſpecimen fecit poſteris, ſcribendo. Tractatum de ente & eſſentia. Quæſtiones etiam varias de multis argumentis. Claruit circa annum 1410. *Alb. Ven.*

Frater Silueſter de Prierio Pedemontanus, qui fuit magiſter ſacri Palatij, & inde aſſumptus vt eſſet generalis Magiſter ord. Vir fuit multis & egregiis animi dotibus inſignitus. Nam ingenio fuit pręſtans, philoſophus eximius, Theologus celebris, in diuinis literis, & in iure Canonico non vulgariter exercitatus, ac demum vir fuit dignus quem omni laudum genere proſequātur omnes, & admirentur. Hoc autem euidenter probāt plurima opera quæ tranſmiſit ad poſteros. Is primus ſcripſit cōtra Lutherum, vt author eſt Onuphrius in ſuo Chron. Eccleſiaſtico, anno 1521. Hoc opus quod compoſuit contra Lutherum, fuit impreſſum Romę, anno 1520. & dicatum Leoni 10. Pont. max. Eius autem titulus eſt, Errata & argumenta Martini Lutheri recitata, detecta, & repulſa, &c. Volumina Capreoli ſuper ſentēt. redegit in compendium. Eſt etiam liber impreſſus. Scripſit & additiones in 4. libros Capreoli, in quibus illud præſertim monſtrat, quid de vnaquaque concluſione quiſque ſenſerit.

*Apologiam de ſecundis intentionibus.*
*Comment. in ſphæram Ioannis de ſacro Boſco.*

*Libellum meditationum ſuper paſſ. Domini.*
*Introductorium Logicæ.*
*Defenſorium doctrinæ. D. Thomæ.*
*Comment. ſuper 4. lib. ſentent.*
*Lib. de obſeruatione morientium.*
*Confeßionale maius. Confeßion. paruum.*
*Libellum exorciſmorum.*
*Comment. in Theoricas Planetarum.*
*Libel. de Hiſto.*
*B. Virg. Malleum Scotiſtar.*
*Summam de peccatis, quæ dicitur Silueſtrina.*
*Lib. de hiſtor. B. Mariæ Magd.*
*Dialogum de eadem.*
*Expoſitionem Miſſæ.*

Compēdium Logicæ, quod dicauit fratri Angelo de Verona: lib. eſt in 4. impreſſus fuit Venetiis, anno 1496. lib. de immolatione agni Paſchalis, qui fuit impreſſus Mediolani anno 1509. Eúmque dicauit Reuerēdiſſimo, D. Ludouico de Ambaſia Cardinali Albienſi. Volumen vnum Serm. quod Aurea roſa dicitur, eò quòd flores & roſæ omnium Doctorum in ea contineātur. lib. etiam quęſt. ſuper Euangelia Dominicalia totius anni, & ſunt in eo 69. quæſtiones. Lib. alium quæſtionum ſeu caſuum impertinentium, & ſunt numero 65. Sermones etiam de Sanctis compoſuit. Hæc 4. poſtremò dicta, fuerunt ſimul impreſſa Bononiæ, in 4. an. Domini 1503. Scripſit & Quadrageſimale, quod continet 64. ſerm. eruditos & perutiles, & fuit liber impreſſus Venetiis, anno 1515. Fecit & illud opus notabile, quo omnia quæ D. Tho. in diuerſis locis de eadem materia differens habet, in vnum decenter congregat, & ſuis commentariis interdum



interdum declarat. Quod opus in 4. volumina magna diuiſit, & in eo conficiendo 8. annos aut circiter inſumpſit, vt ipſemet fatetur. Horum voluminum primum dicauit Leoni 10. ſummo Pontifici, & vocatur, Conflatum Prierij. Scripſit etiam Apologiam de conuenientia inſtitutorum Rom. Eccleſiæ cum Euangelica libertate, aduerſus Lutherū. lib. fuit impreſſus in 4. Venetiis, anno 1525. Alia multa ſcripſiſſe dicitur, etiam Latinè, vt hæc omnia hucuſque relata.

*Italico autem ſermone, ſequentia.*

*Scalam Sancti amoris.*
*Summariam ad confitendum.*
*Tract. de Regina cæli.*
*Liber hæc continens fuit impreſſus Bononiæ, in 8. anno 1550.*
*Tract. Naſcendi, viuendi, & moriendi.*
*Vitam D. M. Magdalenæ, cum multis notabilibus.*
*Trialogum trium querelarum.*

Claruit anno Domini 1520.

Frater Simon Anglus, vir ingenio felix, doctrina clarus, in ſacrarum litterarum ſtudiò aſſiduus, & earum interpretes egregius, ſcripſit

*Super Eſaiam.*
*Super Hieremiam.*
*Super Ezechielem.*
*Super Danielem.*
*Super Prouerbia Salomonis.*
*Super libros Machabæorum, & ſuper præfationes D. Hieronymi in Biblia.*

Claruit anno Domini* *Sixtus Sen. in ſua Biblioth.*

Frater Simon de Vvintona, vir in ſæculari &

Chriſtiana philoſophia plenè eruditus, in Scholaſtica autem doctrina ſolidè doctus, ſcripſit

*Super Prouerb. Salomonis.*
*Super lib. Sapientiæ.*
*Super Hieremiam.*
*Super Danielem.*
*Super Eccleſiaſtem.*
*Super Ezechielem.*
*Super Cantic. Cantic.*
*Super Eccleſiaſticum.*
*Super Threnos.*
*Super 12. Prophetas Minores.*
*Super Eſaiam.*

Et in alios Bibliorum libros. Claruit anno* *P. P. mon. ord.*

Frater Sixtus Senenſis, vir in humanioribus literis benè inſtructus, in cognitione linguarum, & in doctrina Scholaſtica ſufficienter verſatus, ſed in ſacris litteris & in veterum Patrum monumentis euoluendis admodum ſedulus & aſſiduus, edidit, illud præclarum opus & eruditum, quod prænotatur Bibliotheca Sancta. In ea autem refert de ſeipſo, quòd ſequentia compoſuerit,

*Lib. I. de vſu concordantiarum Bibliæ ſacræ.*
*Lib. 3. Aſtronomicarum. Geographicarum & Phyſicarum quæſt. in varia diuinæ ſcripturæ loca.*
*Lib. 1. problematicarum quæſtionum in aliquot ſcript. loca.*
*Lib. I. qui inſcribitur, Sophia Monoteſſarum.*
*In Euangelia Quadrageſimales cõcionum tomos 4.*
*Super Prouerb. Salom.*
*Super Eccleſiaſten.*



*Super lib. Sapientiæ.*
*Super epiſt. ad Rom.*
*Lib. 1. Scholaſticarum quæſt.*
*In Hexameron hom. 8.*
*In priora 3. cap. Iob hom. 6.*
*In Pſal. primum, hom. 6.*
*Scripſit etiam ſuper Pſalmum 50. hom. 20.*

Obiit Genuę in noſtro conuentu S. Mariæ de Caſtello, anno 1569.

Frater Sixtus Vicedonius, patria Nouocomenſis, & frater Sixtus Poncellus, dulcia inter ſe miſcentes colloquia occurrunt, viri ſanè & ab ingenij & doctrinæ præſtantia, multùm commendandi. Et hic quidem Italico ſermone librum dedit in lucem, in fidei Catholicæ contra hæreticos ſui temporis defenſionem. Fuitque impreſſus Mediolani in 8. anno 1570. Ille autem ſcripſit comment. ampliſſima & erudita in epiſt. ad Rom. vt author eſt in ſua Bibliotheca Sixtus Senenſis, quẽ in illa in viuis adhuc agentem magnis effert encomiis.

Frater Stephanus Poloniacus Gallus, & frater Stephanus de Reate, Viri etiam bonæ litteraturæ huc properant. Et hic etſi in aliis doctus fuit, tamen in Ariſtotelis doctrina magis exercitatus, vt ille quoque in diuinarum litterarum ſtudio aſſiduus. Hic claruit circa annum 1262. teſte Alberto Veneto. Scripſit ſuper veterem artem Ariſtot. & ſuper 8. lib. Phyſic. eiuſdem. Ille autem (vt Sixtus Senenſis refert in ſua Bibliotheca ſcripſit poſtillam ſuper Ioannem, quæ habetur Lugduni in conuentu noſtro.

Frater Stephanus de Mediolano, vir quàm plurimis animi dotibus ſplẽdidus. Nam humanarum litterarum fuit non ignarus, Poëta & Philoſophus eximius, Theologus clarus, iuris Põtificij non vulgariter peritus, & in ſacris literis non mediocriter exercitatus. Scripſit opus inſigne quod prænotatur. Dialogus de potentiis apprehenſiuis, & eſt diſtinctus in 12. partes, & continet 220. capitula.

*Lib. 1. de emanationibus, qui in 9. partes diſtribuitur.*

*Lib. 1. de geſtis ciuitatis Mediolanenſis metricè.*

*Lib 1. de controuerſia hominis & fortunæ, metricè.*

*Chronicam vnam.*

*Tract. de irregularitate.*

Quæſtiones in apparatum Decretalium, diſtinctas in libros quinque. Claruit circa annum 1262. *Iac. de Suz. Alb. Ven.*

Frater Stephanus de Salanacho, prouinciæ Prouinciæ, Diœceſis Lemouicenſis, vir fuit doctrinæ opinione clarus, regularis vitæ obſeruantiſſimus, & omni laude ſuperior. Compilauit librum de 4. rebus, quibus Deus Prædicat. ordinem inſigniuit, videlicet

*De bono & ſtrenuo Duce.*

*De illuſtri ac nobili proſapia.*

*De glorioſo nomine.*

*De modo profeſsionis.*

Habentur, hæc Mediolani in conuentu noſtro Gratiarum in P. P. mon. ord. & in 4. Obiit anno 1290.

Frater Stephanus Biſuntinus, prouinciæ Franciæ olim Prouincialis, & poſtmodum totius noſtri ord. moderator factus fuit, magiſter in Theol. Pariſiis creatus, vir vndequaque doctus, & tam doctrina, quàm etiam diuini verbi diſſeminandi gratia clariſſimus, cuius laudes plerique admirabundi celebrant. Scripſit autem Poſtillam ſuper Eccleſiaſtem. Poſtillam ſuper Apocal. Lib. etiam conſarcinauit ex auctoritatibus Patrum & etiam Philoſophorum. Lib. alium compoſuit, qui dicitur Alphabetum narrationum. Epiſt. varias exhortatorias ad vniuerſos noſtri ord. religioſos. Obiit in conuentu Lucenſi, anno 1294. *P. 4. mon. ord. & Leand. lib. 1.*



Frater Stephanus de Vico-Mercato Mediolanenſis, vir ingenio promtus, eloquio clarus, & doctrina venerandus, nec ſolùm in Theol. ſed etiam in iure Canonico benè verſatus, qui primus ex noſtro ordine Theologicam in domicilio Mediolanenſi, publico ſtipendio ad id conductus, cœpit docere. Ad poſteros autem ille ſuæ eruditionis monumenta tranſmiſit.

*Chronicam vnam metricè.*

*Poſtillam ſuper Lucam.*

*Dialogum de apprehenſione.*

*Summam notabilem in iure Canonico.*

*Periarchon nominum & nonnulla alia, quæ habentur Mediolani, in conuentu noſtro Gratiarum.*

Obiit anno 1298.

Frater Stephanus de Tarantho, vir eruditus & gratia verbi præclarus, qui claruit circa annũ 1485. ſcripſit, poſteritatis iuuandæ cupidus, Serm. Quadrageſimales. Et eodẽ meritis nõ inferior eſt frater Sterlengarius, qui ſcripſit cõmentaria non cõtem-

nenda in 4. lib. ſentent. & ſerm. vtiliſſimos ad clerum. Claruit anno 1355. *Alb. Ven.*

Frater Stephanus Paris Aurelianenſis, qui fuit Epiſcopus Abelonenſis, vir in ſacris litteris tractandis diligens, concionator facundus & gratus, & eruditionis non vulgaris, ſcripſit Expoſitionem eruditam ſuper illud, Verbum caro factum eſt. Fuit impreſſa Pariſiis, anno 1555. lib. 1. ſerm. Quadrageſimalium cuius titulus eſt, Chriſtiani hominis inſtitutio, aduerſus huius temporis hæreſes, & morum corruptores. Liber eſt diſtinctus, in 50. homil. & fuit impreſſus Pariſiis, anno 1561. Eidem operi coniunctæ ſunt 25. homil. pro Feſtis. Claruit anno 1555.

Frater Stephanus de Luſignano, vir claro ſanguine regum Cypri de Luſignano ortus, ſed morum grauitate nobilior, & religione præſtans, Magiſter in Theol. non ignobiliter doctus, in euoluendis autẽ antiquorũ annalibus diligens, & aſſiduus, & inſigniter exercitatus, in poſteritatis gratiam ſcripſit ſequentia & in lucem emiſit nõnulla.

Chronicam Cypri, eaq; impreſſa ſuit Bononiæ anno Domini 1573. quam obtulit Carolo 9. regi Franciæ.

Deſcriptionem inſulæ Cypri, ſeu Coſmographiam. Fuit impreſſa Venetiis, & dicata Philippo Nucenio Archiepiſcopo.

Librum quinq; coronarũ, impreſſum Paduæ, & oblatum Henrico 3. regi Franciæ.

Genealogias omniũ principum Latinorũ terræ Sanctæ: impreſſus fuit lib. Pariſiis, & dicatus Cardin. in Borbonia.

Arborem Borboniorum impreſſam Pariſiis, & dedicatam Carolo à Borbonio Cardinali.



Chronicã Cypri reformatam & auctã, impreſſa fuit Pariſiis, & oblata Ludouico de Luſignano.

Arborem animæ: impreſſa fuit Pariſiis, & dedicata Guidoni de Luſignano.

Arborem familiæ Luſignanæ, impreſſa fuit Pariſiis & oblata Ludouico de Luſignano.

Catalogum virorum illuſtrium veteris ac noui teſtamenti, ad ſucceſſionẽ omniũ paſtorum multarum Eccleſiarum, illum obtulit Abbati cuidam.

Librum imperatorum & regũ qui habitum religionis aſſumpſerunt. Fuit impreſſus Pariſiis & dicat⁹ D. Renatæ à Borbonio Abbatiſſæ de Chales.

Arborem machinæ mundi, impreſſam Pariſiis, & dicatam ſummo pontif. Grego. 13.

Arborem Valeſiorum regum Franciæ, impreſſa fuit Pariſiis, & dicata Henrico 3. regi Franciæ.

*Sequentia necdum in lucem emiſit.*

Arborem naturæ Angelicæ, quã obtulit Epiſcopo Couennarum.

Theſaurum omnium principum totius mũdi, à creatione mũdi vſq; ad hunc annũ Domini 1584.

Arborem Comitum Bononiæ Franciæ, quam dicauit Sereniſſimæ reginæ D. Catharius de Medicis, matri Chriſtianiſſimi regi Franciæ.

Arborẽ regũ Portugalliæ, ſed ab alio impreſſam.

Arborem omniũ Ducum Lotharingiæ, quã obtulit Henrico Lotharingo duci Guiſiæ.

Librũ doctrinalẽ pro defenſione omniũ Monachorũ mendicantiũ, obtulit Epiſcopo Bergomẽſi.

Arborem omnium regum Troianorum, Sicambrorum, Francorum, & Gallorum.

Lib. reformatę Meluſinę, quę cõtinet 60. genea-

logias Merouei illegitimi filij Theodorici 2. regis Auſtraſiæ & Burgundiæ.

Plura alia parua opuſcula conſcripſit.

Viuit adhuc iſto anno 1584. Pariſiis agens in conuentu noſtri ord. & bonam militiam militans tanquam verus miles Chriſti.

Frater Thadæus de Vrbe-veteri, vir in humanioribus litteris eruditus, & diuinarum non expers, ſcripto mandauit ad poſteros Comment. ſuper libros D. Aug in lib. de Ciuitate Dei, & habẽtur Venetiis in conuentu noſtro D. Dominici. Claruit circa annum 1470.

Frater Theodoricus de Vriburgo, natione Teuto, magiſter in Theol. vir ſuo tempore doctrina clariſſimus, & veluti oraculum habitus, ad difficillimas quaſuis enodandum quæſtiones, & vt eius non foret incognita eruditio, ſcripto tradidit quæ ſequuntur

*Lib. 1. de quidditatibus rerum.*
*Alium de viſione beatifica.*
*Alium de menſuris rerum.*
*Alium de conceſſione priuileg. ord.*
*Alium de origine prædicabilium.*
*Alium de tribus definitionibus.*
*Alium de generatione lucis.*
*Alium de iride.*
*Alium de tempore.*

Claruit circa annum 1270. *P. P. mon. ord. & Leand.*

Frater Theodoricus de Apoldia Erfordienſis, vir ingenio præſtans, ſermone vtcunque purus & benè eruditus, ſcripſit iuſſu genaralis Magiſtri



ord. fratris Munionis legendam B. Dominici patris noſtri. Legendam quoque Eliſabetæ, filiæ Regis Hungariæ. Claruit anno 1288. P. P. *mon ord.*

Frater Theodoricus Teutonicus, alter à præfato vno alio Teutone, qui etiam Theodoricus vocatus, comitatus occurrit, & ambo ſunt viri religione præſtantes & doctrina non ignobiles. Et primus horum ſcripſit

*Lib. de Quantit. Entium.*
*Lib. de tribus definitionibus.*
*Lib. de natura elementorum.*
*Lib. de coloribus.*
*Lib. de intellectu & intelligib.*
*Lib. de origine lucis.*
*Lib. de principio materiali.*
*Lib. de cauſis.*

Alter verò ſcripſit librum de impreſſionibus radialibus, ad generalem Magiſtrum noſtri ord. Aymericum Placentinum, & claruit anno 1310.

Albertus Venetus etiã meminit cuiuſdã Theodorici qui ſcripſit ſummam valdè vtilem & notabilem, De arte Chirurgiæ.

Frater Theophilus Cremonenſis, ex omnibus operibus Ariſtot. collegit in vnum librum præcipuas ſententias & propoſitiones magis notabiles. Quod poſtmodum opus frater Benedictus Soncinas etiam correxit in multis, & auctius reddidit. Fuitque liber impreſſus Venetijs anno Domini 1493. in 4.

Frater Theophilus Fedinus, natione Florentinus, vir non minùs doctrina, quàm ingenio clarus, edidiſſe fertur ſermone vulgari volumẽ magnum ſuper Pſalmũ, Beati immaculati, &c. Tract. etiam

ſuper orationem Dominicam. Tract.in quindecim Pſalmos graduales. Super Pſalmum,In exitu Iſraël, &c. Super 7. Pſalmos pœnitentiales. Viuebat adhuc anno 1577. Florentiæ agens in noſtro conuentu S. Mariæ Niuellæ.

Frater Timotheus Bothonius Peruſinus,vir ingenio præſtans, neque indoctus,& ad componẽdum in verbis conſonantes ſententias promptiſſimus, fertur vltra ſexcentas compoſuiſſe ſermone Italico de variis argumentis, quæ per totam Italiam habẽtur inſignes. Viuebat adhuc anno 1577.

Frater Tilmanus Sibergenſis, olim conuentus noſtri Colonienſis Prior, ſacræ Theol. profeſſor eximius,& hæreticorum cenſor acerrimus,vir doctrina & religione conſpicuus ſcripſit librum j.de 7. Eccleſiæ Sacramentis. Adnotationes etiam & appendicem in Enchiridion Ioannis Echij. Et nonnulla alia. *Ex addit.ſecunda ad Tritem.*

Frater Thomas de Aquino, Angelicus doctor dictus, quòd Angelico donatus ingenio & intellectu, vti ſuperiorum ordinum Angeli inferiores illuminant, & illis aperta efficiunt, quæ alioqui erant occulta & ignota: & ſpeciebus etiam paucioribus intellectiuis contenti,ſed vniuerſalioribus plura comprehendunt, quàm inferiores per ſic & ille denudat & detegit & paucis multa complectitur, diuiniſque viribus magis quàm humanis partam habuit rerum omniũ cognitionem, & ideo excellens fuit in omnibus, & in ſcripturis ſacris euoluẽdis voluminibus & interpretãdis adeò fidus& ſedulus,vt admirationi ſit penitus cunctis; & hac ratione etiam doctor Angelicus nuncupatur,& in eiuſdẽ laudẽ tanquã inſufficiẽs lingua o-



mnis ſilere debeat, potiùs quàm fari. Nam in Philoſophia naturali & morali, ſi quid D. Thomam conſequutum non fuiſſe arbitrere, illud Ariſtotelem ignoraſſe non verearis aſſerere. In ſacrarum litterarum interpretatione fidiſſimum eſſe non dubites:quem & in difficilibus ab Apoſtolis Petro & Paulo illi apparentibus inſtructum fuiſſe legis: & oratione media,quæ ſibi reſeruata erant & abdita, ſibi à Domino manifeſtari impetrare promeruit. In Theologia verò diſputatiua tam eminens euaſit, vt iure optimo ſine vlla controuerſia omnium Theologorum iudicetur & ſit facilè Princeps. Ipſius verò doctrinam clariſſimam efficiunt & illuſtrem reddũt ipſius authoris ſanctitas eximia, plurium ſanctorum Pontificum, & Academiarum Chriſtiani orbis teſtimonia illam comprobantia,vt ſanam& ſinceram.Et quod his omnibus maius eſt, quæcunque in Eccleſia Dei de rebus fidei congregantur Concilia, illius doctrinã potiſſimũ habere ſolent præoculis: dumq; fit quarũuis materiarum diſcuſſio ſumma omnium. Diligentia perquiritur, quid D. Thomas ea in re habeat, & ab illo veluti ab oraculo diuino, ſolent ſemper Patres pendere, pro conſtantiſſimo habentes, ab errore eos eſſe procul, ſi D. Thomam habeant ductorem, ſupremo tamen ductu ſpiritui ſancto reſeruato, qui eſt perpetuus ſanctæ Eccleſiæ datus ductor, vt eam in omnibus dirigat, ne errorum tenebræ contra illam præualeant. Is ergo D. Thomas non ſolùm noſtri ordinis ſed & ſanctæ Dei Eccleſiæ decus inſigne in poſteritatis gratiam ſcripſit

*Super lib. Perihermenias Ariſtot.*
*Super lib. Poſteriorum eiuſdem.*
*Super lib. Phyſicorum eiuſdem.*
*Super lib. de cælo & mundo.*
*Super librum de gener. & corruptione.*
*Super libros Metaphyſices.*
*Super librum de Anima.*
*Super librum Meteororum.*
*Super parua naturalia.*
*Super libros Ethic.*
*Super lib. Politicorum.*
*In libros Oeconomicorum.*
*Super quatuor lib. Sententiarum diffuſè.*
*Super eoſdem 4. libros aliud ſcriptum breue.*
*Quæſt. diſputatas, & de veritate. &c.*
*Quæſtiones etiam quodlibetales.*
*Summam contra gentes in 4. lib. diſtinctam.*
*Summam Theologiæ in tres partes ab illo diſtributam, nunc verò in 4.*

Scripſit etiam commentaria

*Super Iob.*
*Super Pſalmos aliquot.*
*Super Cantic. Canticorũ.*
*Super Eſaiam.*
*Super Hieremiam.*
*Super Threnos Hierem.*
*Super Matthæum.*
*Super Ioannem.*
*Super Apocal. Ioannis.*
*Super 4. Euangelia catenam auream.*
*Super Epiſt. ad Rom.*
*In vtranque ad Corinth.*
*Super Epiſt. ad Galat.*
*Super Epiſt. ad Epheſ.*
*Super Epiſt. ad Philip.*
*In Epiſt. ad Coloſſ.*
*In vtranque ad Theſſal.*
*In vtranque ad Timotheum.*
*In Epiſt. ad Titum.*
*In Epiſt. ad Philemonem.*
*In Epiſt. ad Hebræos.*
*In Epiſt. Canon Iacobi.*
*In Canonicas D. Petri.*
*In Canonicam Ioannis.*



*In Canonicam Iudæ.*

Scripſit etiam volumen vnum magnum opuſculorum, in quo ſequentia continentur.

*Contra errores Græcorum.*
*Compendium Theologiæ.*
*Declaratio quorundam articulor.*
*Contra Græcos & Sarracenos.*
*De decem præceptis & lege amoris.*
*De articulis fidei & Sacrament. Eccleſiæ.*
*Symboli Apoſtolorum explicatio.*
*Expoſitio orationis Dominicæ.*
*Expoſitio ſalutationis Angelicæ.*
*Reſponſiones ad 108. art. ſibi propoſitos.*
*Reſponſio ad 42. art.*
*Reſponſio ad 46. articul. propoſ.*
*Reſponſio ad 6. articul.*
*De differentia verbi Diuini & humani.*
*De natura verbi.*
*De Subſtantijs ſeparatis.*
*De vnitate intellectus contra Auerroën.*
*Contra retrahentes ab ingreſſu religionis.*
*De perfectione vitæ ſpiritualis.*
*Contra impugnantes religionem.*
*De regimine Principum.*
*De regimine Iudæorum.*
*De forma abſolutionis.*
*Expoſitio j. Decretalis.*
*Expoſitio 2. Decretalis.*
*De ſortibus.*
*De iudicijs aſtrorum.*
*De æternitate Mundi.*
*De fato.*
*De principio indiuiduat.*
*De Ente & eſſentia.*
*De principijs naturæ.*
*De Naturæ materiæ & dimenſionibus.*
*De mixtione Elementorum.*
*De occultis operibus Naturæ.*
*De motu cordis.*
*De inſtantibus.*
*De 4. oppoſitis.*
*De demonſtratione.*

*De fallacijs.* *De propoſition. modalib.*
*De eruditione Principum.* *De natura generis.*
*De natura Accidentis.* *De potentijs Animæ.*
*De Tempore.* *De pluralitate Formarũ.*
*De natura Syllogiſmorum.*
*Summa totius Logicæ Ariſtot.*
*De ſenſu & intellectu reſpectu obiectorum.*
*De inuentione medij:* *De natura luminis.*
*De natura loci.* *De intellectu & intelligibili.*
*De quo eſt, & quod eſt.* *De Vniuerſalibus.*
*De Vniuerſal. iterum.*
*Officium de corpore Chriſti.*
*De Sacramento Altaris.*
*De eadem, ſecundum decem Prædicamenta.*
*De humanitate Chriſti.*
*De dilectione Dei & proximi.*
*De Diuinis moribus.* *De beatitudine.*
*De modo confitendi & puritate conſcientiæ.*
*De officio Sacerdotis.* *Expoſitio Miſſæ.*
*De emptione & venditione ad tempus.*
*De modo acquirendi diuinam ſapientiam.*
*Super Boëtium de hebdomadibus.*
*Super lib. de Trinitate eiuſdem.*
*De vitijs & virtutibus.*
*De cõcordantijs ſuijpſius.* *De vſuris in communi.*

D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3.p. hiſt. tit. 18. cap. x. 55. refert quòd etiam ſcripſit ſuper librum j. ſententiarum ſecundò, & quòd tale ſcriptum fuit olim in conuentu Lucenſi, & quòd ſcripſit etiam ſuper Eſaiam, Hieremiam, & Threnos. Extant & ſermones illius complures, tam de tempore quàm de Sanctis, qui inuenti fuere in Bibliotheca Vaticana, & multis eiſque efficacibus



argumentis, illius eſſe, oſtenſum fuiſſe à viris doctis aſſeritur. Impreſſi fuerunt Romæ in 8. anno Domini 1571.

In Flandria quoque in Abbatia quadam, quæ eſt non procul ab Andenardo, Volumen vnum habetur ſermonum manuſcriptum, & characteribus ſatis antiquis, ſub titulo fratris Thomæ, & creduntur à viris grauibus ad D. Thomam Aquinatem pertinere, mihi autem cùm in illos incidi, iam iam ferè profectionem parãti Italiam verſus. non licuit illos perlegere & euoluere. Extat & commentarius eius in Geneſin, quem ipſe in Medialburgenſi ciuitate, quin potiùs arbitror in oppido Vvlexion apud Patres Minoritas inueni manuſcriptum characteribus admodum vetuſtis, ſub titulo fratris Thomæ de Aquino, & è tenebris vindicatum prælo dari curaui Antuerpiæ per Bellerum, & paulo poſt Lugduni recuſus fuit, & poſteà Pariſiis.

*Si quis verò obijciat, D. Antoninum loco prænominato negantem, D. Thomæ eſſe commentarium qui habetur in Geneſin &c. Is conſideret quòd ille non omnem in Geneſim cõmentarium D. Thomæ eſſe negat, Sed quendam quem ipſe viderat, qui ab officina Thomæ Anglici prodiiſſe creditur, & incipit, Non recedet, &c. vt etiam Sixtus Senenſ. in ſua Bibliotheca reijcit. Sicut etiam ibidem reijcit D. Antoninus quoque compendiũ quoddam Theologiæ, quod S. Thomæ aſcribitur falsò, non tamen illud quòd illius eſſe pro conſtante habetur. Quem autem commentarium in Geneſim emiſi, ſub titulo Diui Thomæ, etſi forſan eſſe poſſint rationes aliquot, quibus non illius eſſe ſuadere*

*quis velit: tamen cùm parum efficaces ſint, & ſub titulo fratris Thomæ de Aquino illum loco præno. minato inuenerim antiquiſsimis characteribus conſcriptum in membranis: non vidi, nec video rationem efficacem, qua Doctori ſancto poſsimus ſubtrahere fœtum, qui & titulo illius eſſe clamat, & in multis paternam repræſentat effigiem, etiam ſi introſpectus quidpiam contineat, quod vndequaque non quadret cum illis quæ iam maturioris ætatis effectus ſenſit & ſcripſit. Nec hinc ſatis conuincitur illius non eſſe, niſi etiam ſcripta eius in ſentent. & multa alia eius opuſcula illi velimus ſubtrahere, & multis alijs authoribus multa quoque, quæ tamen illorum eſſe omni dubio procul habentur. Magis autem admiro, quòd præfatus Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, etiam commentaria in Eſaiam, & Hieremiam D. Thomæ ſuffurari conetur, cùm eodem loco D. Antoninum habeat renitentem, & D. Thomæ eſſe conſtanter credatur à viris doctis & grauibus: qui opera Thomæ Anglici recenſent vt Tritem. Abbreuiator Geſn. Leander, Albertus Venetus, & monimenta noſtri ordinis, illi nuſquam commentarium tale in Geneſin aſcribunt, neque talia commentaria in Eſaiam, Hieremiam, & in Threnos D. Thomæ Aquinati ſubtrahant. Neque idem Sixtus ad illud affirmandum mouetur, quàm coniecturis admodum leuibus, quas qui ſolicitè obſeruare voluerint, neceſſum eſt ſæpius falli & accidere, quòd dum in litterarijs fœtibus nimij eſſe volunt in exigendo quòd in illis omnino & ſemper paternæ conditiones & qualitates effulgeant & & reſpondeant, etiam vſque ad eorum ſimilitudinem, quæ ſunt velut indiuiduantia principia,*



*& vt ſint authorum ingenio valdè conformes, vt legitimis ac veris ſubtrahantur Authoribus, & alijs ſupponantur, qui in illis nihil pertulere laboris. Sed hæc ſatis.*

Frater Thomas de Suetonia, natione Anglus, vir quem illa ætas plurimùm coluit, & magna veneratione proſequuta fuit ob eruditionis præſtantiam cum vitæ probitate coniunctam. Philoſophus nanque erat præclarus, & Theologus inſignis, & in alijs non triuialiter doctus, ſcripſit

*Summam Theol. cum quæſt. difficillimis.*

*Compleuit etiam comment.* D. *Thomæ in librum Perihermenias.*

*Librum de vnitate formæ compoſuit.*

*Super Pſalterium ſcripſit.*

*Tract. de declaratione* D. Thomæ.

*Super librum prior. Ariſtot.*

*Super librum poſter. Ariſtot.*

*Super prædicam. eiuſdem.*

*Super librum 6. Principiorum.*

*Tract. de Relatione.*

Claruit anno * *P. P. mon. ord. Epit. Geſn.*

Frater Thomas de Lentino, natione Siculus, qui D. Thomam Aquinatem ad religionis habitum ſuſcepit, vir multa grauitate morũ præditus, qui & aliquando fuit noſtri ord. in Romana prouincia moderator, poſteà Archiantiſtes Cuſantinus, & Patriarcha Hieroſolymitanus, vir fuit vita integerrimus, & doctrina clariſſimus. Compilauit autem vitam D. Petri Mart. ſermone comto, neque inſuaui. Compoſuit & ſermones de Sanctis. Claruit anno 1250.

***Aliqui tamen duos fuiſſe inquiunt Thomas, vnum***

*de Lentino, alium qui Hieroſolymis Patriarcha fuit, & horum primo aſcribunt, quòd vitam D. Petri Mart. ſcripſerit, alteri verò ſerm. de Sanctis.*

Frater Thomas de Cantiprato, natione Brabantinns, Alberti Magni quondam diſcipulus, qui ſui Magiſtri doctrinam & regularem obſeruantiam æmulatus, euaſit quoque magnus, ſcripſit opus de apibus myſticis, quod vocauit Bonum vniuerſale. Vitam quoque D. Chriſtinæ. Lib. j de naturis rerum, cuius ipſemet meminit in præfato lib. de apibus. Hunc lib. de naturis rerum putant aliqui eſſe illum qui de proprietatibus rerũ inſcribitur, & Bartholomæo Anglico ord. minorum ſupponitur. Aliqui etiam ſcribunt hunc Thomam cognomento dictum de Barbanſane, & fuiſſe natione Gallicum, & Epiſcopum Luſentinum, & Patriarcham Hieroſolymitanum. Sic enim legi Toleti in conuentu noſtro D. Petri Mart. in libro antiquo manuſcripto, coniuncto ſummæ Alberti Brixienſis. Sunt & qui ſcriptum reliquere, quòd idem Thomas iuſſu D. Thomæ vel ſuaſibus, libros Ariſtot. ex Græca lingua in Latinam tranſtulerit. Claruit anno 1260. *Epit. Geſn.*

Frater Thomas de Templo, natione Hiſpanus, qui B. Dominici patris noſtri fuit ſocius multo tempore, vir in diuinis ſcripturis eruditus, religione præſtans, & fama ſpectabilis, ſcripſit Lib. de miraculis Roſarij B. Virginis, & de prædicatione illius facta per Patrem noſtrum S. Dominicum. Vixiſſe proditur ferè vſque ad annum 1280. P. P. *mon ord.*

Frater Thomas Anglicus, vir moribus grauis, religione conſpicuus, & tam in humanis, quàm



etiam in diuinis ſcientijs præclarus, (cui etiam loco poteſt eſſe encomij non vulgaris, quòd ſex fratres eiſdem parentibus progenitos in noſtro ordine habuit, qui omnes etiam euaſere viri animi dotibus, religioníſque præſtantia & doctrina ornati) qui etiam poſtmodum fuit Cardinalis creatus ſub titulo S. Sabinæ, & nomen ſuum apud poſteros fecit notiſſimum, ſcribendo

*Lib. de doctrina Scholarium.*

*Super 4. libros ſentent.*

*Lib. de Concept. B. Virginis.*

*Lib. multarum quæſt. Theologalium, quem manuſcriptum vidi.*

*Super Boëtium de Conſolat.*

*Contra Ioannem Scotum.*

Impreſſ. Venetijs, anno Domini 1523. Neapoli in conuentu noſtro S. Dominici. Claruit anno 1305. P. P. *mon. ord.*

*Præfatum Thomam aliqui ſcribunt cognominatum fuiſſe Iorgium, & illi nõnulli ſcriptores ſupponunt opera aliqua, quæ alios Thomas etiam noſtri ordinis habuere authores. Fuerunt nanque olim in Anglia plures viri doctrina celebres hoc nuncupati nomine, qui multa ſuæ eruditionis teſtimonia transmiſerunt ad poſteros: & qui illos minimè norunt diſcernere, ingeniorum quaſdam fœcundas ſegetes in quorundam horrea recondunt, quas tamen non ſeminarunt. Ex hac etiam radice ortum habuit, quòd Sixtus Senenſ. in ſua Bibliotheca, hunc Thomam in plures Bibliorum ſcripſiſſe libros aſſerat, quàm alij ſcriptores ſcripturæ proditum reliquere, & quòd illius ſint nonnulla quæ D. Thomæ Aquinati tribuũtur paſſim. Et ad id aſtruendum illa ſua minùs*

*efficaci ratione, aut potiùs coniectura vtitur, quòd quia D. Thomas Angelicus doctor vocari meruit, (cùm ſcilicet Theologiam profiteretur Pariſijs, & ſuper quatuor libros ſentent. comment. ſcripſit) vicinitate vocum quam habent Anglicus & Angelicus, factum fuit, vt Angelico Doctori ſcilicet D. Thomæ ſuppoſita fuerint multa, quæ erant Anglici Doctoris, ſcilicet Thomæ Anglici, &c. Sed in hoc fallitur: & in eo etiam, quòd illum anno 1400. claruiſſe ſcribit. Si autem poſtilla quam ſcripſit Venetijs in conuentu noſtro D. Ioannis & Pauli ſuper 25. Pſalmos, & lectura ſuper Geneſin incipiens, Non recedat, &c. ſub huius Thomæ Iorgij Anglici extent, hac noſtra Bibliotheca, ord. nullatenus excludi cupio.*

Frater Thomas Vvallens, vel de Vvalleis, natione etiam Anglus, magiſter in Theol. vir eſt naturalibus & acquiſitis animi dotibus egregius & illuſtris. Nam Philoſophus fuit eximius, in ſcripturis ſacris nō modicùm exercitatus, & in Scholaſticis profundus, & tam intrepidus veritatis fidei propugnator, vt ſicut olim Paulus Petro in faciem audacter reſtitit, quia reprehenſibilis erat, vt dicitur in Epiſt. ad Galat. ſic quoque Ioanni 22. ſummo Pōtifici non fuit veritus ſe opponere fortiter, vt latiùs in meo Chronico ordinis, refero inter communia. Scripſit.

*Super quatuor libros ſententiarum.*
*Super Pſalterium.* *Super Prouerb. Salomon.*
*In Cantica Canticorum.*
*Super lib. Auguſtin. de Ciuit. Dei.*
*Super 8. lib. Phyſic. Ariſt.*
*Lib. j. de coloribus Rhetoricis.*



*Librum j. de ſtatu animarum poſt mortem.*

Claruit anno 1320.

Fratris Thomæ Guallenſis etiam Anglici, viri ſacrarum litterarum ſtudioſi, & humaniorum non ignari, & in alijs eruditionis non contemnendæ, meminit Abbreuiator Geſneri: & credere quis poteſt vnum & eundem eſſe eum cum præcedente, præſertim cùm illi tribuat, quòd ſcripſerit ſuper Pſalterium, Super Cantic. Cantic. Super Auguſt. de Ciuit. Dei. Attamē eidem Thomę Guallenſi etiam tribuit ſequentia, quæ apud nullum ſcriptorum legi aſcripta ſuperiori Thomæ de Vvaleis: ideò forſan aliqui hunc ab illo diſtinctum putabunt, deinde quia etiā hunc cōmemorat claruiſſe anno Domini 1410. Scripſit is ergo (au thore prętato Abbreuiatore Geſn.) librum vnum de formis veterū Deorū. Moralizatū in Ouid. lib. 15. Librū aduerſus Iconoclaſtas. Lib. de ſtatu animarum poſt mortem. Claruit an. 1410. *Epit. Geſn.*

Frater Thomas * natione Anglus, magiſter in Theol. vir eruditus eximiæ, in ſacris litteris bene exercitatus, & in alijs non vulgariter eruditus, ſcripſit ſuper quatuor lib. ſententiarum. Sermones per totum annum. Super Pſalterium. Claruit anno 1310. *Hunc Thomam Abbreuiator. Geſn. Iorgium cognominat.*

Frater Thomas Ringſtede, Anglus, qui Vangorienſis Eccleſiæ fuit factus Epiſcopus, vir non infimè doctus habebitur, ſiue illius experimentum quis ſumere velit in Scholaſticis concertationibus, ſiue in diuinarum ſcripturarum tractatione, ſiue etiam in Philoſophorum placitis. Et quia (iuxta ſcript. ſacræ teſtimonium) qui docti fue-

rint,fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, etiam nunc apud poſteros ſcriptis quæ reliquit fulgere non deſinit. Scripſit

*Super quatuor lib. ſentent.*

*Super Pſalterium.* *In Parabolas Salomonis.*

*Placita Theologica lib. j. complexus eſt.*

*Diſtinctiones libro altero.*

Plura alia ſcripſiſſe fertur. Claruit Alberto Veneto, circa annum 1314. Abbreuiatori Geſn. claruit anno 1370.

Frater Thomas Operman ( alijs Spermanus vir in Sacris litteris eruditus & exercitatus, & in alijs non ignobiliter doctus, ſcripſit comment. Super Geneſin, Super Epiſt. ad Hebræos. Super Canon. D. Iacobi. Plura alia ſcripſiſſe fertur. Claruit anno domini 1290. *Iacob de Suz. Alb. Ven.*

Frater Thomas Stubez ( alijs eſt Scobez vel Stolbez) natione Anglus, magiſter in Theol. vir pius, regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimus, nec minori veneratione dignus propter doctrinæ, quàm religionis præſtantiã qua coruſcauit, quantæ fuerit eruditionis, manifeſtum effecit in illis quæ ad poſteros tranſmiſit operibus. Scripſit verò

*Lib. j. de ſtatutis Eccleſiæ, & dicitur, Scutum Eccleſiæ.*

*Lib. alium, contra impugnantes eadem Eccleſiæ ſtatuta.*

*Lib. vnum de perfectione vitæ ſolitariæ.*

*Lib. vnum de ſtipendijs, quæ prædicationibus debentur.*

*Sermones de tempore & de Sanctis per totum annum.*

*Lib. j. de arte moriendi.*



*Lecturam eruditam ſuper Cantic. Cantic.*

*Lib. j. de pœnis peregrinationis huius miſeræ vitæ.*

*Officium completum cum Miſſa, de nomine Ieſu.*

*Officium de Beata Anna.*

Claruit *Abbreuiatori Geſn.* anno 1350.

Frater Thomas Lãguefrodius etiam Anglus, vir non mediocri doctrina præditus & exornatus, diuinarum literarũ fuit valdè ſtudioſus, in Scholaſticis tritus, in Annalium verò veterum euolutione perquàm diligens, & exercitatus, poſteris nomen ſuum effecit notiſſimum, ſcribendo Poſtillam ſuper Iob non ineruditam neque lectu indignam. Chronicam quoque ab exordio mundi vſque ad ſua tempora compilauit. Claruit circa annum 1314. *P. P. mon. ord.*

Frater Thomas Nortuode, & is quoque Anglus, vir plurimùm venerandus eſt tam religionis merito, quàm doctrinæ præſtantia, quippe qui fuit & in ſacrarum litterarum lectione aſſiduus, in Scholaſticis exactè doctus, vt ſatis demonſtrant quæ ad poſteros tranſmiſit ſcripta. Scripſit

*Super quatuor libros ſentent.*

*Super Epiſt. Pauli ad Romanos.*

Claruit circa annum. 3114.

Duo adhuc Angli pccurrunt, quos ſua ætas coluit valdè, & quæ tranſmiſerunt ad poſteros opera, eos ab omnibus multa veneratione proſequendos demonſtrant, quoniam præter hoc, quòd ingenio valuerunt præſtanti, non vulgarem rerum plurium notitiam conſequuti fuerunt. Vnus eorum dicitur, frater Thomas Bra-

duadinus vel Brauardinus, alius verò File cognominatur, & horum primus compoſuit librum contra Pelagianos, & librum vnum, De vnitate Dei cauſæ cauſarum, & nonnulla alia. Secundus verò ſcripſit conciones per totum annum: & Scholaſticorum certamiuum lib. vnum. Et claruit anno 1380. P.P. *mon. ord.* Ex *addit.* 2. *ad Tritem.*

Frater Thomas Firmanus, vir doctrina & rerum agendarum peritia clariſſimus, qui fuit generalis Magiſter ordinis cum fratre Bartholomęo Senẽſi, lib. cõpoſuit de origine ord. de pœnitentia B. Dominici, quo illius, initium explicat, & ſummorũ Pontificũ approbationes & diplomate recẽſet. Obijt Genuæ, an. Domini 1414. *Leãd lib.* j.

Frater Thomas Matthæi Florentinus, vir ingenio promptus & acutus, poëta præclarus, & in aliis eruditus (teſte Leandro Bonon. libro quarto) volumen magnum carminum contexuit vernaculo ſermone. Quæ in concinnitate, dulcedine, & ſententiarum grauitate etiam cum optimorum Poëtarum operibus comparari poſſunt.

Frater Thomas Antonij de Senis, vir religionis præſtantia, morum grauitate, & doctrina non vulgari excultus, ſcripſit poſt Raimundum Capuanum, Vitam ſeu legendam B. Catharinæ de Senis, ſed magis compendioſè, quàm ille. Supplementum quoque vitæ eiuſdem. Ipſo quoque procurante factus eſt liber de atteſtatione ſanctitatis & de miraculis illius, vt ex his poſſet Sãctarum catalogo aſſcribi. Lib. j. de ortu, initiò cõfirmat. ord. qui dicitur de pœnitẽtia B. Dominici. Cõpilauit etiã legẽdas B. Mariæ de Venetijs, & quarundã aliarum ſororum ordinis noſtri. Epiſtolas etiam B. Catharinæ Senenſis vndequaque colligit in vnum volumen. Compoſuit etiam vitam ſeu legendam B. Dominici patris noſtri. lib. 1. de merito vitæ regularis. Obiit anno Domini 1430. P.ſ. *mon. ord. & Alb. Ven.*



Frater Thomas de Hibernia, vir in ſtudiis diligens, nec ineruditꝰ, edidit librum qui dicitur, Manipulus florum. Quo in vnum coniecit optima quæque quæ ſparſim habebantur apud Patres, de virtutibus & vitiis. Liber fuit in folio impreſſus Placentiæ, anno Domini 1483. Claruit anno *

Frater Thomas Donatus Venetus, qui etiam ad eiuſdem ciuitatis Patriarchatum peruenit, vir fuit pius, vitæ regularis obſeruantiſſimus, & in ſacris literis exercitatus, ſcripſit

*Lib. 1. ſermonum de tempore.*

*Lib. 1. ſermonum de Sanctis.*

*Lib. 1. ſermonum per Quadrageſimam.*

*Serm varios ac eruditos, quãdo viſitabat conuẽtus.*

Hæc omnia ſeruantur Venetiis in conuentu noſtro S. Dominici. Claruit anno 1492.

Frater Thomas Brixienſis ex oppido de Caluiſano, vir humanarum litterarum benè peritus, in ſacris verò & in Scholaſticis non contemnendæ doctrinæ, ſcripſit orationes aliquot politas & elegantes, & neſcio quæ alia. Obiit anno 1512. Cuius conſortio placet coniungere fratrem Thomam Nerium, virum etiam pium & doctum, qui ſcripſit librum pro doctrina fratris Hieronymi Sauanarolæ, vt Sixtus Senenſ. in ſua Bibliotheca refert, ſub finem mentionis quam facit fratris Hioronymi Sauanarolæ.

Frater Thomas Radinus Tudeſcus, nomine & re Placentinus, vir fuit generis claritate ſplendidus, ſed doctrina micantior. Nam in politioribus literis fuit omnifariam conſummatus, & adeò excellenti ingenio dotatus, vt velut alter Auguſt. liberales artes per ſeipsũ didicerit, vt de ſeipſo fatetur in epiſtola dedicat. quam operi præfigit. Philoſophiæ verò & Theologicæ doctrinis operam nauans, euaſit in illis doctiſſimus. Fuit quoque Poëta inſignis. Scripſit op⁹ quod prænotatur Calipſychia: quæ pulcra anima dicitur. Et illud dicauit Maximiliano imperatori, & fuit impreſſum Mediolani, per Gotardum Ponticum, anno 1511. Scripſit etiam lib. quem prænotauit, Sideralem abyſſum. Orationes etiam plures. Claruit an. 1510.

Frater Thomas natione Anglus, magiſter in Theol. eruditiſſimus, qui fuit regis Angliæ Richardi Confeſſarius, & poſtmodum presbyter Cardinalis creatus, ſub tit. S. Petri ad vincula, ſcripſit ſuper totam Philoſophiam Ariſtot. Quodlibeta etiam varia: hæc legi Toleti, in conuentu noſtro S. Petri Mart. in libro peruetuſto coniuncto ſummæ Alberti Brixienſis. Claruit anno *

Frater Thomas natione Teuto, magiſter in Theol. vir eruditionis non vulgaris, & multarum ſcientiarũ officina locuples, nomen ſuum immortalitati conſecrauit, ſcribẽdo libros multos de origine rerum. Quos aliqui arbitrantur eſſe qui de proprietatibus rerum inſcribuntur, & ſub tit. Bartholomæi Anglici circunferuntur. Scripſit etiam

*Lib. de corpore Chriſti in ſacramento altaris.*

*Lib. de corpore Chriſti mortuo.*

*Lib. de generatione Lucis.*



*Lib. 1. de tempore. Lib. de Iride.* Claruit anno *

Frater Thomas Toletanus, magiſter in Theol. vir doctus, in ſtudiis aſſiduus, & iuuandæ poſteritatis cupidus, ſuper Quodlibeta D. Tho. tabulam parauit per alphabetum. Tabulam quoque ſuper totam ſummam D. Thomæ. Aliam ſuper volumina ſerm. Iacobi de Voragine. Aliam ſuper ſerm. Geminiani. Aliam in lib. de ludo ſcacorum, cuiuſdem patris noſtri ord. Aliam ſuper Nicolaum de Lyra. Aliam ſuper tract. eiuſdem de differentia Bibliæ Latinæ & Hebraïcæ. Aliam ſuper tract. de vitiis & virtutibus, Domini. Alani, quæ incipit, Vidit Iacob ſcalam. Aliam ſuper tract. Innocentij Papæ: in 7. pſal. pœnitent. Aliam ſuper ſummam fratris Alberti Brixienſis de officio ſacerdotis. Alias parauit ſuper tract. fratris Auguſtini de Ancona ſuper Magnificat, & ſuper Miſſus eſt. Aliã ſuper lib. qui intitulatur Exempla ſacræ ſcript. ad omnem materiam prædicabilem. Aliam ſuper quandam ſummã decreti nimis vtilem. Compoſuit etiam Mariale. Tract. etiam quendam de laudibus portæ Paradiſi. ſcilicet beatæ Virginis.

*Hæc omnia ipſe refert de ſe quòd ſcripſerit in tract. quodam, quem Toleti vidi in Bibliotheca noſtri conuentus S. Petri Mart. coniuncto cum ſumma fratris Alberti Brixienſis.*

Frater Thomas de Turre-cremata ſacræ Theol. præſentatus, qui fuit in Hiſpania hæreticæ prauitatis inquiſitor. generalis. & Catholicorũ Regũ cõfeſſari⁹, vir fuit multæ eruditionis, & apud Catholicos reges tantæ authoritatis, vt cauſa fuerit præcipua expulſionis Iudæorũ ab Hiſpania. Nã cum illi poſt multã ea inre deliberationem iã concluſiſſet,

illos ſuis regnis procul facere: iterũ nutabant circa hoc, ob immẽſam pecunię ſummã quã illis Iudæi, ne expellerẽtur, polliciti fuerãt. Id reſciens bonus Pater & zelo Dei feruidus, dum perpẽderet quanta mala ex eorum commercio cum Chriſtianis prouenirent, imaginem Crucifixi Domini noſtri ſub cappa accepit, & audacter ad Catholicos reges ingreſſus fuit, & inter alia quæ propoſuit, hoc fuit vnum, Iudas pro 30. denariis Dei Filium vendidit ſemel, Celſitudines veſtræ nunc pro 30. millibus eundem ſecundò vendere cogitant. Ecce ergo eum iam vendite, imaginem Crucifixi Domini noſtri ante eorum oculos ponendo. Qua re conterriti principes, quod ſemel conceperant de expulſione Iudæorum, non retractarunt, quin potiùs opere compleuerunt. Hic ergo religioſus pater & doctus ſcripſiſſe fertur, Directoriam quoddam pro inquiſitoribus, qui ſancti officij munus exequerentur vtiliſſimum. Plura eius ad meam non peruenere notitiam. Claruit anno 1490.

Frater Thomas Lombardus, qui fuit confeſſor Comitis Sabaudiæ (necdũ enim ducis titulo gaudebat.) & poſtmodum factus Cardinalis tempore ſchiſmatis, & in ſchiſmate per Clementem 7. factus, cùm autem erat prouincialis Lombardiæ, noſtræ religionis & inquiſitor Pedemontanus, ſcripſit Serm. perutiles, & nonnulla alia opera, quæ Toleti in conuentus noſtro S. Petri Mart. legi in tract. quodam coniuncto ſummæ Alberti Brixienſis, &c. Claruit anno *

Frater Thomas Fazellus, natione Siculus, magiſter in Theol. vir ingenio præclaro præditus, in humanioribus literis nobiliter doctus, hiſtoriarum verò & rerum antiquarum ſolerliſſimus indagator, in Ariſtot. verò & in Scholaſtica doctrina non vulgariter eruditus, qui etiam fuit in prouincia Siciliæ noſtri ordinis moderator digniſſimus, ſcripſit volumen magnum de rebus Siculis, in duas decades diſtributum, & quælibet earum 10. libros complectitur, multaq; diligentia res illius inſulæ deſcripſit, & optima quæque explicauit. Liber fuit impreſſus Panormi in folio, anno Domini 1560. Scripſit etiam lib. de regno Chriſti, ſed necdum vidi typis datum.



Frater Thomas de Vio, Caietanus, magiſter in Theol. vir ingenio & memoria feliciſſimus, in philoſophia naturalis & morali inſigniter doctus, Metaphyſicalium conceptuum mirus inuentor, & D. Tho. doctrinę profundus ſcrutator, & Theologus eruditiſſimus, ſacrarum litterarum interpres ſedulus, in diſputationibus verò Scholaſticorum & quæſtionibus reſoluendis, ac detegendis ſuprà quàm dici poteſt, dexter & ſtrenuus. Qui eruditionis ſuæ eximiæ & religionis ſingularis merito, poſt Lectoratus Theologiæ munus per annos aliquot exercitatum, Procurator totius ord. fuit in Rom. curia effectus, & inde generalis Magiſter ord. ac demum ab officio Generalatus à Leone 10. ad Cardinalitiam dignitatem euectus, ſub tit. S. Sixti. Cumque in Germania emerſit hæreſiarcha Lutherus, legatus ſummi Pont. fuit eò miſſus. Sui autem ingenij & excellentis doctrinæ ad poſteros quæ ſequuntur monimenta tranſmiſit. D. Tho. comment. in lib. Periherm. Ariſt. quæ morte præuentus non abſoluerat, ille perfecit, & in integrum conſummauit. Scripſit etiam

*Super prædicab. Porphyrij.*
*Super lib Poſter. Ariſtot. Super Prædicam. eiuſdem.*
*Super lib. de Anima eiuſdem. Super 5. lib. Moyſi.*
*Super libros hiſtoriales. Super libros Sapientiales.*
*Super Pſalmos. Super 3. priora capita Eſaiæ.*
*Super 4. Euangelia. Super omnes epiſt. D. Pauli.*
*In omnibus autem ſuis commentariis in ſcript. ſacrã, litteralem ſenſum ex quo ſolum (teſte Aug.) efficax ſumitur argumentum contra hæreticos, diligenter proſequi conatus eſt ſemper.*

Scripſit etiam ſuper lib. de ente & eſſentia D. Tho. comment. abſolutiſſima, ſummam quoque Theol. D. Thomæ ab illo in tres partes diſtributã, à poſterioribus verò in 4. partitam, commentariis exornauit eruditiſſimis, & mirum in modum illuſtrauit. Summulam etiam compoſuit de peccatis ſuccinctam & doctã. Volumen etiã magnum opuſculorum, in quo continentur ſequentia.

*Opuſculum de poteſtate Papæ.*
*Apologia pro eodẽ opuſc. Tract. de cambiis.*
*Alius de monte pietatis. Alius de maleficiis.*
*Alius de votis. Alius de circunſtantia diei feſti.*
*Alius de vſura Tract. de eleemoſyna.*
*Alius de conceptu entis. Alius de infinitate Dei.*
*Tract. de bonis per vſuram acquiſitis.*
*Tract. de nouitiis. Alius de caſtitate.*
*Alius de Pontificatu. Alius de ſimonia.*
*Alius de celatione confeſſionis.*
*Alius de ſpaſmo B. Virginis. Alius de matrimonio.*
*Tract. de nominum analogia.*
*Tract. de ſubiecto naturalis Philoſophiæ.*
*Tract. de potentia neutra.*

De vſu ſpiritualium rerum in peccato mortali,



Reſpõſſio ei⁹ ad quæſt. de voto & vnitate peccati. De pollutione confeſſoris ex audientia confeſſionis. Reſponſ. eius ad triplicem quæſtionem. Reſponſ. ad quæſt. ſi poteſt Sacerdos ſumere reliquias ſacras, quæ in calice remanſerunt poſt ſumptam oblationem. Quæſtio vtrum ſacerdos celebrans pro multis, ſatisfaciat ſingulis. Oratio habita coram Alexandro 6. de virtute orationis. Multæ orationes factæ in capella ſummi Pontif. Claruit vſque ad annum 1533. quo obiit.

Frater Thomas Vigleuanenſis vir grauis & erudit⁹ ac concionator optimus, ſcriptos poſteritatis dedit Serm. varios, doctos & perutiles, vt author eſt Leander Bonon. lib. 4. de vir. illuſtrib. ord. Claruit circa annum *

Frater Thomas Badia Mutinẽſis, qui primò fuit per annos plures magiſter ſacri Palatij, & poſtmodum à Clemente 7. ad Cardinalitiam dignitatem ſublimatus, ſub tit. S. Silueſtri, vir fuit clari nominis & doctrina ſpectabilis, ſcripſit Comment. ſuper 8. lib. Phyſic. Tract. de prouidẽtia Dei. Lib. 1 plurium queſt. phyſicalium, & de anima, & Metaphyſic. & habentur Florẽtiæ in pretio. Obiit anno Dñi 1547.

Frater Thomas Eliſi⁹ Neapolitanus, ſacrę Theol. profeſſor eximi⁹, vir ingenio & eruditione clarus, & in diſceptationib⁹ Scholaſticorum, & in materiis hoc noſtro infelicis ſæculo ab hęreticis in controuerſiam vocatis benè peritus, & in ſuarum virtutum merito iure optimo multùm commendandus, edidit opus quod prænotatur Piorum Clypeus aduerſus hæreſes recẽtes & veteres. Fuitque opus impreſſum Venetiis apud Salamandram, anno 1563. Eo in opere, quæſt. ſequẽtes pertractat.

*De prædeſtinatione.* *De reprobatione.*
*De lib. arb. hominis.* *De bonis operibus noſtris.*
*De fide catholica.* *De gratia.*
*Da iuſtificatione impij.* *De purgatorio.*
*De ſacram. in communi.*
*De ſacram. Baptiſmi.*
*De baptiſmo paruulorum.*
*De peccato originali.* *De ſacramento altaris.*
*De Miſſa & ſacrificio.*
*De communione ſub vtraque ſpecie.*
*De ſacramento pœnitentiæ.*
*De confeſſ. auriculari.* *De ſatisfactione.*
*De ieiunio.* *De Eleemoſyna.*
*De oratione.* *De matrimonio.*
*De cælibatu.* *De virginitate.*
*De diuortio.* *De venerat. Sanctorum.*
*De communitate rerum.* *De Eccleſia.*
*De credendis & faciendis.*
*De interpret. ſacr. ſcript.* *De ſacerdotibus.*
*De prælatis.* *De Epiſcopis.*
*De reſidentia Epiſcoporum.*
*De poteſtate Papæ & aliorum prælatorum.*
*De clauibus Eccleſiæ.* *De traditionibus.*
*De imaginibus.* *De adoratione.*
*De inæqualitate peccatorum.*
*De hæreticis & hæreſibus.*
*De votis Monaſticis.* *De indulgentiis.*
*De Papæ electione.* *De Concilio generali.*
*De primatu ſummi Pontificis.*
*De paupertate clericorum.*
*De authorit. Papæ etiam temporali.*
*De vera donatione facta Eccleſiæ per Conſtantinum Imperatorem.*

*Compoſuit*



Compoſuit idem author aliud opus quòd inſcribitur: Chriſtianæ religionis arcana, &c. & fuit impreſſum Venetiis an. 1569. in 4. & diſtribuitur, in 8. tract. ſequentes.

Primus de diuinis præceptis & conſiliis. 2. De duodecim articulis fidei. 3. Contra Hebræos. 4. De ſacrificiis & ſacram. vtriuſque legis. 5. De peccatis in communi. & in ſpeciali. 6. De donis ſpiritus Sancti. 7. De virtut. Cardinalibus. 8. De voluntate Dei. Vixit adhuc anno 1570.

Frater Thomas à Clauibus, natione Hiſpanus, ſacræ Theol. præſentatus, vir grauis & prudens, in D. Tho. doctrina ſolidè doctus, & in aliis expertus ac venerandus, collegit in cõmunem omnium vtilitatem, ex dictatis reuerendi. Patris Magiſtri, fratris Franciſci de Victoria, ſummam de ſacramentis omnibus vtiliſſimam, fuitq; liber impreſſus tum alibi, tum Venetiis, anno 1569. Plura eius non vidi.

Frater Thomas de Mercato, Hiſpanus natione, ſacrę Theol. præſentatus, vir etiam egregiè doctus & in Theologia morali non infeliciter verſatus, qui conuerſionis infidelium non ſegniter incumbit in nouis Indiis Occidentalibus. in prouinciæ de Mexiquo, edidit librum eruditum de contractibus. Fuitque impreſſus Salmanticæ, anno Domini 1569. Plura eius non vidi. Viuebat adhuc anno 1576.

Frater Thomas de Laixa, ex prouincia Aragoniæ, magiſter in Theol. vir agendarum rerum prudentia & moribus grauibus adornatus, nec ignobiliter doctus, Barchinonenſis ſtudij noſtri Regentem egit per annos aliquot, & Theologiæ pu-

R

blicum profeſſorem. Poſtmodum verò ab illuſtri admodum Domino Gartiæ à Toleto triremium omnium Regis Philippi facto generali aſſumptus in comitatum, qui eius prudētiæ perraræ, integritati vitæ cum doctrina non vulgari coniunctæ ſuam conſcientiam & ſua omnia in integrum credidit. Vnde & ille ſolus vel maximè anno Domini 1577. & vicinit quo tempore eum noui, Neapoli ſolus erat aut, potiſſimus penes quē rerum omnium agendarum ſumma erat authoritas. Præter lecturas autem varias Theol. quas fecit, cùm illum profiteretur, in epiſt Pauli ad Hebr. ex D. Hieron. potiſſimùm, & ex aliis patrib' compilauit aliquos Canones, etiam ad intelligentiam totius ſacræ ſcripturę vtiles. Per modum etiam locorum communium ex Patribus colligebat, quæ ad controuerſias huius ſæculi cum hæreticis ampliùs explanandas opportuna videntur: quæ tamen omnia adhuc: eo tempore informia habebat, & negotiorum grauium pondere præpeditus, his limandis illi non vacabat intendere, anno 1577. quo viuebat agens Neapoli.

Frater Thomas de Valentia, Hiſpanus, vir etiam pietatis & doctrinæ merito commendandus, ſcriſit Hiſpanicè lib. cuius titulus eſt Flores conſolationis pro omni Chriſtiano neceſſarij ad tranſitum proſperum procellarum huius mundi. Qui fuit in Italicum idioma conuerſus, & impreſſus Venetiis anno Domini 1562.

Frater Thomas Boninſigni' magiſter in Theol. magni ducis Etruriæ Theologus præclarus, & illi acceptiſſimus, vir à peritia tam in philoſophicis, quàm etiam in Scholaſticis commendandus, &



ob grauitatem morum, & in rebus agendis experientiam colendus, edidit Tract. de cābiis, etiam à viris eruditis commēdatum. Tract. alium de venditione ad tempus, in quo tamen (aliquorum iudicio) plus æquo indulget illis, qui negotiationibus implicati, acquirendi cupiditate ducūtur, dum quaſdam illorū artes quibus pecunias extorquere conſueuerant, non ita improbat, vt illi improbandas arbitrantur, & hæc quidem ſermone Etruſco. Tractatus etiam alios compoſuiſſe fertur ſermone Latino, vt de Incarnatione filij Dei, de Angelis, & de aliis materiis, quæ tamen necdum in lucem emiſit, quod ſciam. Viuebat anno 1577 profeſſo-rē agens Theol. Florentiæ multa cum laude & applauſu omniū, ad hoc munus ſpecialiter delectus & deſignatus à Celſitudine magni ducis Etruriæ.

Frater Thomaſinus, patria Ferrarienſis, Philoſophus & Theologus inſignis, & in ſacris litteris multùm diuq; verſatus, nomen ſuum apud poſteros notum effecit ſcribendo,

*Super 4. lib. ſentent.* *Lib. 1. ſermon. de tempore.*
*Lib. alium ſermonum de Sanctis.*
*Lib. 1. ſermonum per Quadrageſimam.*
*Nonnulla alia ſcripſiſſe fertur.*

Vixit anno 1390. P. P. *mon. ord. & epit. Geſn.*

Fratrem quendam Thomaſinum noſtri ord. dicentem quòd Manichæi damnant, Ioannē Baptiſtam, quia in Chriſtum non credidit, eo quòd miſit duos diſcipulos ſuos interrogare, Tu quis es? refert frater Bernardus de Luzēburgo, in ſuo catalago hæreticorū in verbo Manichæi. Sed vtrùm is. Thomaſinus, cuius meminit, ſit, is quem nunc proximè retuli, incertum habeo.

Frater Tullius (aliis & Iulius) natione Dacus, vir eruditus, & in ſacris litteris exercitatus, ſcripſit Commentaria ſuper omnes 12. prophetas minores lib. vnum de potentiis animæ. Claruit circa annum *

Frater Valentinus de Camerino, Peruſinus, magiſter in Theol. vir ingenio & doctrina eximius, in Peripateticorum & D. Tho. doctrina exactè & ſolidè doctus, ſcripſiſſe fertur vltra centũ & quinquaginta quæſtiones metaphyſicas admodũ diffuſè, quæ & apud aliquos non minoris fiunt & acumine ingenij: & eruditione, quàm quæſt. Pauli Soncinatis. In prouincia Etruriæ habentur paſſim à religioſis. Necdum eas prælo datas ſcio eſſe. Alia ſcripſiſſe dicitur. Claruit anno 1500. P. P. mon. ord. & Leand.

Frater Vbertinus natione Florentinus, qui fuit Piſtorienſis Antiſtes Eccleſiæ, vir in philoſophicis magnificè doctus, & in Theologica doctrina non vulgariter ſcripſit, Super 12. lib. Metaphyſic. Ariſt. Plura eius ad meam cognitionem non peruenere claruit anno.* *P. P. mon. ord.*

Frater Vercelinus de Vercellis, philoſoph' conſummatus, & Theologus egregius, & ſacrarum litterarum valdè ſtudioſus, ſcripſit ſummam Logicę, quam vocauit Tetralogum Quæſt. multas in locam, phyſicam, & Theologiam. Scripſit & logicam contra Occam, eámque vocauit Antiocham. Poſtillam ſuper euangelia Dominicalia. Serm. quàmplurimos per annum. Hymnos & ſequentes de Sanctis. Claruit circa annum 1312.
*Alb. Ven.*

Frater Venturinus de Bergomo, vir doctus, &



concionator ſuo tempore eloquens, diſertus, & ſuis omnibus numeris abſolutus, tranſmiſit ad poſteros. Serm. quàmplurimos, & epiſtolas eruditione & doctrina refertas Claruit circa annum 1334. *Alb. Ven.*

Frater Vdo (aliis eſt Hugo) de Vitonio, qui fuit Romanæ eccleſiæ Cardinalis, vir fama celebris, & doctrina nõ vulgari præditus & plurimùm venerandus, ſcripſit Super Pſal. Miſerere mei Deus, vt author eſt in ſuo Chronico. *Alb. Venetus.* Plura eius nõ venere ad meam notitiam. Claruit anno 1334. Viguerius. Vide ſupra in littera I. in verbo Ioannes.

Frater Vincentius Beluacenſis, natione Burgundus, qui eiuſdem eccleſiæ Beluacenſis dicitur fuiſſe epiſcopus, vir fuit doctrina inſignis, & adeò in omnis generis authorum lectione verſatus, & plurimarum rerum cognitione excultus & ornatus fuit, vt admirationi ſit cunctis non modicè, quód tanta legere potuerit. Ex multorum ſcriptis laborioſiſſimè collegit Speculum hiſtoriale, quod triginta duobus libris continetur.

*Speculum naturale, quod 33. libros complectitur.*
*Speculum doctrinale, quod 13. libris concluditur.*
*Speculum morale.*
*Lib. 4. de gratia Chriſti.*
*Lib. 1. de Laudibus B. Virginis.*
*Lib. 1 de laudibus B. Ioannis.*
*Lib. 1. de inſtitutione puerorum.*
*Conſolatoriam epiſtolam, De morte amici, ad Regem Franciæ Ludouicum.*
*Epiſtolarum diuerſarum, lib. vnum*

Claruit anno Domini 1244. Quo tempore finem

impoſuit ſuo ſpeculo hiſtoriali, vt in eius fine ille teſtatur. Obiit autem (ſi fides eſt adhibenda Maſſæo) anno 1256.

Frater Vincentius Hiſpanus, patria Valentinus, & familia Ferrarienſis nuncupatus, vir fuit doctrina & prædicationis diuini verbi gratia, admodum celebris, ſed vitæ ſanctimonia clariſſimus, qui totus ſpiritu Dei plenus, & valde feruidus Dei præco exiſtens, ac tuba diuina, populo Dei eorum ſcelera annuncians, plurimum populum Deo acquiſiuit. Nam vltra 25. millia Iudæorum & 8. millia Saracenorum illius prædicatione ad fidẽ Chriſti conuerſa fuiſſe probatum eſt, & vltra centum millia hominum peruerſorum ac deſperatorum ad ſanam mentem rediiſſe. Qui & dono prophetiæ, & linguarum, & miraculorum gratia in vita & in morte fuit coruſcus atque conſpicuus. Scripſit autem ille.

*Serm. de tempore vtiliſsimos.*
*Serm. de Sanctis & de aliis Solemn.*
*Lib. 1. ſuppoſitionum, in quo declarat multa Philoſophica & Theologica.*

Lib. de fine mundi, in quo potiſſimum 3. continentur. Primum de caſu ſeu ruina vitæ ſpiritualis. 2. de ruina Eccleſiaſticæ dignitatis. 3. De ruina fidei Catholicè, in quo opere calamitates multas prædicit. Vltimò continetur in eo, de duplici Antichriſti aduẽtu, ſcilicet puro & mixtos. Liber eſt in 4. & impreſſum illum vidi Neapoli in Bibliotheca Sancti Seuerini. Tract. de vita ſpirituali, cuius primum caput eſt de paupertate, 2. de taciturnitate, 3. de obedientia 4. de &c. Liber fuit impreſſus Venetiis anno 1500. Vixit vſque ad annum 1418. quo depoſito carnis onere migrauit ad Dominum, & poſteà à Calixto 3. Pontific. max. fuit inter diuos relatus.



Frater Vincentius à Quintiano, patria Brixienſis, vir in Philoſophia cum magnis conferendus, qui in Theologia etiam præſtantiſſimis non cederet, & in ſacris litteris & in aliis fuit bene verſatus, ſcripſit

*Fragmenta quædam in Logicalibus.*
*Paraphraſes in D. Tho. in lib. poſter.*
*Comment. in lib. de Anima Ariſt.*
*Liber fuit impreſſus Bononiæ, anno 1575.*
*Opuſculum etiam de ſacrificio Miſſæ.*
*Super lib. Methaphyſicæ. Contra nouas hæreſes opuſcula aliquot, De primatu Petri, &c. Lib. impreſſus Mantuæ, anno 1556. Opuſc. vel tract. de virtutibus animæ.*

Vixit adhuc anno 1575.

Frater Vincentius Bandellus à Caſtro nouo, qui fuit conuentus noſtri Bononienſis Prior, & eiuſdem ſtudij Regens, & prouinciæ Lombardiæ vicarius, & poſtmodum generalis Magiſter ord. 37. in ſerie, vir fuit magni iudicij, doctrina non ignobilis, & tam religionis, quàm doctrinæ præſtantia clarus, ſcripſit De Conceptione B. Virginis temporibus diuerſis, duo volumina, Alij verò aſſerunt quòd tria: & vnum ex iſtis creditur eſſe illud quod ſine authoris nomine habetur impreſſum, quod eſt recollectum ex auctoritatibus ſanctorum Patrum, ad probandum ſententiam D. Thom. de Conceptione beatæ

Virginis & , incipit , Veritatem meditabitur cor meum , &c. In cuius medio aut circiter per ſeries & claſſes diſtinctas poſt teſtimonia innumera Patrum, quibus hæc D.Tho. ſententia probatur,recēſentur etiam Scholaſtici authores,tam ex familia noſtra, quàm fratrum ord. Minorum,quàm etiam aliarum religionum , qui idem ſenſere cum D. Tho. Et poſtquàm in vno capite 26. authores recenſiti ſunt , ex ordine fratrum Minorum qui eiuſdem fuere cum D.Tho.ſententiæ , narrantur, & alij, &c. Hic liber fuit impreſſus Mediolani anno Domini 1575. Aliud opuſc. ſcripſit de eodem argumento,in quo ducentorum & ſexaginta ſanctorum & doctorum teſtimonia citat,quibus eadem D.Tho ſtabilitur ſentētia, & liber fuit diuerſis vicibus impreſſus. Scripſit etiam lib. de poteſtate Papæ. Lib. etiam quæſtionum Theologarum de variis argumētis. Commentatus eſt etiam conſtitutiones noſtri otd. ex actis capitulorum generalium , tales declarationes colligendo. Obiit in Calabria,anno 1506. in conuentu Montis-alti, & fuit inde corpus eius tranſlatum Neapolim,& reconditum in conuentu noſtro S. Dominici , prope altare maius.

Frater Vincentius de S. Geminiano , natione Italus, vir grauitate morum cùm grauibus , & doctrina cum doctiſſimis, vt etiam religione cum præſtantibus, conferendus , cum noſtri ord. procurator foret , tempore Clementis 7. ad mandatum illius vitam D.Antonini Archiep. Florentini conſcripſit Plura eius meam notitiam latent. Claruit anno 1524.

Frater Vincentius Placētinus, vir in omni litteratura ſufficienter inſtructus , qui philoſophiam & Theologiam egregiè callens , & in ſtudijs diligens, in multorum vtilitatem ſcripſiſſe fertur Logicam eruditam. Volumen j. defenſionum B.Catharinæ de Senis, quo plures nodos Theologiæ declarat. Multos etiam codices emendaſſe & adnotaſſe dicitur in Bibliotheca conuentus noſtri Placentini. Lib. j. orationum , quas habuit in electionibus prælatorum & in Feſtis ſolennibus. Lib. j. orationum , quas habuit in Doctoratibus, &c. Lib. j orationum , quas habuit diſputando, & libros naturales, & Theolog. inchoando. Lib. j. quo orationes funebres continentur. Hæc omnia fuerunt impreſſa vno volumine in 4. anno 1553. Vixit ille anno 1550. vt habet *Leand. lib. 4.*



